SCHILTERVS ILLVSTRATVS,

SEV

EMENDATIONES ET ADDIDAMENTA AD *IO. SCHILTERI* INSTITVTIONES IVRIS CANONICI,

OPERA

IVSTI HENNINGII BÖHMERI,

D. & Professſ. Iuris Ordinarii
in Academia Fridericiana:

Acceſſerunt

EIVSDEM

ORIGINES

PRAECIPVARVM MATERIARVM

IVRIS ECCLESIASTICI.

CVM INDICE TRIPLICI.



HALAE MAGDEBVRGICÆ,
Litteris ORPHANOTROPHEI, M DCC XII.

VIRO
PER-ILLVSTRI ATQVE EX-
CELLENTISSIMO

DN. VRBANO DIETERICO DE LVEDECKE

REGIAE MAIESTATIS BO-
RVSSICAE
ET SERENISSIMI DVCIS BRVN-
SVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS
CONSILIARIO INTIMO
ADVOCATIAE QVEDLINBVRGENSIS
PRAEFECTO REGIO
CVRIARVM DVCATVS BRVN-
SVICENSIS TAM IN SACRIS
QVAM PROFANIS PRAESIDI
GRAVISSIMO
DOMINO HEREDITARIO IN SICKTEN

PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO

S.

VIR PER-ILLVSTRIS
ATQVE EXCELLENTISSIME



Vemadmodum leges rebus non verbis datas esse, Iustinianus Imperator admonet, ita in disciplina illa, quæ rerum humanarum

rum & diuinarum notitiam continet, & vere practica est, ea via incedendum esse videtur, vt cum Saluiano Massiliensi profiteri queamus, nos *rerum magis quam verborum amatores* esse. Praeclare idem obseruat Seneca, contendens, *in studiis melius esse, res ipsas intueri, & harum causa loqui*, imo *rebus verba permittere*, cum rerum significandarum gratia haec quoque reperta sint, adeoque parum de his laborandum esse videatur, si de illis satis constet. Quum vero hoc ipsum omnino eo sensu accipi debeat, quatenus ex verborum indifferente vsu nulla rerum diuersitas aut errorum labes inducitur, merito ἀκρίβεια disciplinae iuris quoque postulat, vt non semper faciles simus in verbis, quae conceptum rerum deprauare, doctrinam iusti & iniusti corrumpere, & viam ad falsissimas conclusiones parare possint. Quodsi enim praesentem iurisprudentiae nostrae statum paulo penitius intuemur, fateamur necesse est, admodum hodie desudandum esse in intimiori verborum iuris enucleatione, vtpote quae ab antiquis iurium interpretibus adeo ne-

glecta & densissimis inuoluta sunt tenebris, vt legum Romanarum sensum non tam euoluerint, quam intioluerint; quod vel inde factum esse, eruditi iudicant, quia literas humaniores & antiquitatum Romanarum studium haud contulerunt ad illam artem, quæ primario ex illis declaranda erat. Atque huc collimasse puto insignia studia tot ICtorum, Hottomanni, inquam, Balduini, Duarreni, Gothefredorum, Ræuardi, Alberici Gentilis, Strauchii, Menagii aliorumque, qui suis operibus ostenderunt, non rebus tantum, sed etiam verbis, per quæ res cognoscuntur, operam sedulam dandam asse, ne a genuino legum sensu recedamus.

Non excurram in hunc campum amplissimum. vlterius, ne a scopo meo nimium dilabar, sed potius ad illam iuris nostri partem me conuertam, quæ, si verum dissimulare nolo, incommodo & incauto verborum vsu adeo deprauata est, vt in his expurgandis hodie multum temporis collocandum sit. Iuris ecclesiastici prudentiam intelligo, quam qui illotis, quod aiunt, manibus

aggrediuntur, rerum ipsarum, incommodis appellationibus designatarum, peruersam facile animo suo ideam ingenerant atque conciliant. Equidem primitiuæ ecclesiæ scriptores hic non accuso, qui vtplurimum simplicius & ita cautius rerum ecclesiasticarum administrationem descripserunt, & si forsan locutione non adeo commoda quandoque vsi esse videntur, ipse tamen contextus & scopus rerum ostendit, quod integerrimum adhuc foueant sensum, nec ad eam verborum mentem prolapsi sint, quam postea in corrupta ecclesia iis affinxere. Sic ipse principalis terminus, quo in hoc iure vtimur, *ecclesia* scilicet, iis denotat vtplurimum cœtum fidelium, non clerum tantum aut Episcopum; *Sacerdotium* proprie dictum ignorant; *Clericorum* appellatio a doctrina duorum primorum seculorum aliena est; *sacrificiorum* proprie dictorum nulla deprehenduntur vestigia, *templorum* & *altarium* nomina vix admissa, quin potius fideles sua conuenticula *domus dominicas* vel *dominica* vel *oratoria* dixere, obseruante Rittershusio *ad Saluianum*, quod

etiam liquidum est ex *titulo Cod. de paganis sacrificiis & templis. Iurisdictionis ecclesiasticæ*, item *fori interni* vel *externi*, adeo eo tempore insolitæ voces fuerunt, vt nequidem res adæquata, quæ sub illis denotetur, inueniri possit; & infinitum foret, si ad reliquas iuris ecclesiastici appellationes progredi vellem.

Sicuti vero non diu ecclesia in statu suo puriori stetit, sed ad varias inclinare cepit corruptiones, ita ad palliandam hanc rerum ecclesiasticarum deprauationem corruptis verborum designationibus ex postfacto patres & scriptores vsi sunt, vnde non potuit non ipsius iuris ecclesiastici iactura promanare. Iam seculo Cypriani *Ecclesiæ* appellatio verum amisit sensum, & *clero*, imo primario *Episcopo*, attributa est; quin si Irenæi tempora h. e. seculum II. considero, adeo hic significatus corruptus iam fuit, vt prædicata, ecclesiæ *internæ* & *inuisibili* in Sacris tributa, incaute cœtui cuivis externo applicata fuerint, vti Irenæi scripta produnt. Post tempora Cypriani *ecclesia* constanter *pro ordine parentium & imperantium* habita fuit, h. e.

pro

pro *republica*, ex quo deprauato ſenſu copioſiſſima errorum ſeges prognata eſt, quos ſi tantum referre vellem, ingentem catalogum contexere poſſem; ne dicam, ipſis ædibus ſacris quoque vocem *ecclesiæ* adeo aſſignatam eſſe, vt adhuc hodie hac incommoda locutione vtamur, & vix errores, inde propullulantes, præcaueamus. *Sacerdotium* ſenſu admodum pio & ſancto omnibus fidelibus adſcriptum eſſe, e ſacris conſtat; aſt ſeculo III. idem miniſtri eccleſiæ ſibi priuatiue & quidem in ſenſu *proprio* vindicarunt, cum antea illi in ſenſu quodam myſtico & improprio *ſacerdotes* dicti fuerint.

Quanta vero ex hoc corrupto ſenſu pernicies in eccleſiam redundauerit, plures ex noſtratibus iam animaduerterunt, quin & ICti iudicii limatioris non diffitentur, ius eccleſiaſticum, introducto hoc vero ſacerdotio, inſignem accepiſſe cladem. Nec *clericorum* appellatio innocua fuit, poſtquam æuo Tertulliani ab eccleſia recepta eſt. Voces *altarium* & *ſacrificiorum*, bona mente a patribus quibusdam adhibitæ, poſteris

 lapis

lapis offenſionis fuerunt, & multa quoque ICtis incommoda pepererunt. Imo quamuis Chriſtiani veteres ipſam *templorum* & *delubrorum* appellationem, *quaſi ab idololatria profectam indeque contaminatam* (vt cum Rittershuſio *ad Saluianum* loquar) reſpuerent, quidam tamen nec ab hic vocibus abſtinuerunt, vti vel ex ipſo Saluiano conſtat, quo tandem factum, vt locus congregationis fidelium ſolennem *templi* denominationem acceperit, quod tolerari potuiſſet, niſi inde ſimul ſuperſtitioſæ concluſiones in ius noſtrum irrepſiſſent. Et quid de aliis appellationibus infinitis dicam: quid de *poſtulationis*, *pœnitentiæ*, *confeſſionis*, *ſatisfactionis*, *ſacramenti*, *matrimonii*, *ſponſaliorum*, *iurisdictionis*, *excommunicationis*, *traditionis* aliarumque rerum ſignificatibus referam? quæ a priſtina ſua ſimplicitate adeo deflexerunt, vt non parum turbarint ipſam iurisprudentiam. Ius *clauium* per plura ſecula verum ſenſum amiſerat, quem tandem antiquitatum Hebraicarum periti reſtituerunt, quo non obſtante infinitæ concluſiones ex deprauato hoc

ſenſu

ſenſu adhuc in iure eccleſiaſtico ſuperſunt.

Quæ cum ita ſint, facile apparet, neminem inoffenſo pede in iure eccleſiaſtico procedere poſſe, niſi qui hos ſcopulos euitare & præcauere ſtudeat, ne in charybdim incidat. Hunc in finem ſedulo fontes rerum ſingularum euoluendos eſſe, ſemper iudicaui, quippe ex quibus ſtatim origines progreſſus & occaſiones corruptionum in oculos incurrunt, & indagatori induſtrio oſtendunt, quam caute in adhibendis eiusmodi appellationibus verſandum ſit, ne in erroneas incidamus concluſiones, quas tamen euitare haud eſt integrum, quamdiu ſenſui vocum corrupto adhuc inhæremus.

Specimen de vſu huius doctrinæ, Vir perilluſtris, atque excellentiſſime, in hoc opuſculo, quod intra breue temporis ſpatium enatum eſt, dedi, hoc conſilio, vt in explicandis *Inſtitutionibus Iuris Canonici* Io. Schilteri, Icti eximii, eo feliciores progreſſus facere poſſem. Poſtquam enim ante aliquot menſes conſtitueram

ram, relictis Coruini aphorismis iuris canonici, antea aliquoties explicatis, ductu Schilteri vti in illustrando studio iuris ecclesiastici, vtpote qui magis ad statum ecclesiarum nostrarum vbique respexisse videtur, statim ingentes deprehendi difficultates, inde potissimum promanantes, quod Schilterum, ICtum alias eruditissimum, hunc iuris ecclesiastici næuum haud euitasse animaduerterim, indeque plures conclusiones erroneas coaceruauerim, quæ illustratione peculiari indigerent. Accessit, quod plura capita huius studii, scitu necessaria, nescio quo fato aut consilio, omiserit, quæ necessario supplenda esse videbantur. Proinde ad singula Schilteri capita illustrationes, emendationes, quandoque etiam supplementa succincta contexui, eo consilio, vt hisce subsidiis via planior ad institutiones Schilteri intelligendas reddatur.

Sed merito vereor, ne iustam reprehensionem incurram, quod Tua, Vir perillustris, patientia, prolixiori hoc discursu abutar, nec memor sim illius,

mi-

minima non curare prætorem. Aſt vero cum propenſiſſimum Tuum in ſtudia & eorum cultores animum omnes prædicent, & ego quoque multis rerum argumentis expertus ſim, facile veniam admiſſæ huius temeritatis me impetraturum eſſe confido, ſi id vnicum tantum allegauero, me hoc ipſo rationem conſilii mei duntaxat Tibi declarare, Teque ſimul arbitrum conſtituere voluiſſe, vtrum finem, quem mihi propoſui, aſſecutus fuerim. Tu enim optime omnium noſti, quantum in rebus eccleſiaſticis diſtent æra lupinis, & ſicuti Auguſtiſſimus Dux Brunſuicenſis, princeps ad immortalem gloriam natus, pro inuſitata ſua prudentia Tibi præſidatum in conſiſtorio ſacro concredidit, quem etiam admirando cum iudicio in eccleſiarum ſalutem & reipubl. commodum adminiſtraſti, ita Tuo potius, Vir per-illuſtris, iudicio haſce meas meditationes ſubiiciendas eſſe cenſui, vt ſi Tuo calculo dignas eas iudicaueris, me ſufficientem laborum meorum fructum percepiſſe perſuaſiſſimum habeam. Nec in hoc

ſub-

ſubſtitit animus, ſed præterea etiam eas per-illuſtri Tuo nomini conſecrandas eſſe exiſtimauit, vt Tibi deuotionis ſuæ haud indubia ederet argumenta. Ex multis enim documentis Tuam, Vir Per-illuſtris, in me indulgentiam & voluntatem perſpexi & cognoui, vt nullam occaſionem intermittendam eſſe crediderim, Tibi deuotiſſimam meam mentem oſtendendi, & ſimul declarandi, me non minimum felicitatis argumentum inde ducere, quod Tua indulgentia frui queam. Accipe itaque, Vir per-illuſtris, has qualeſcunque meditationes, nomini Tuo conſecratas, meque illorum numero in poſterum quoque accenſe, qui pro Tua Tuorumque integritate & ſalute ſerias ad Deum preces fundunt, & nihil magis curæ cordique habent, quam vt Tuo ſub patrocinio vlterius quieſcere poſſint. Protegat ter ſummum Numen gentem tuam ſplendidiſſimum, cuius Te caput DEus conſtituit, Tuæque proſperitati addat perpetuitatem, vt adhuc per plures annos Rex Boruſſorum potentiſſimus, Dominus meus

lon-

longe clementiſſimus, & Dux Brunſuicenſis auguſtiſſimus, qui ſibi in capiendis conſiliis Te conſtituerunt Neſtorem ſuum, conſiliis tuis ſaluberrimis frui posſint. Id vovet & optat

VIR PERILLVSTRIS & EXCELLENTISSIME

perilluſtris Tui nominis

Halæ d. 12. Jan. 1712.

cultor deuotisſimus

IVSTVS HENNINGIVS BÖHMER.

Ad Lectorem.

Non adeo necessarium esse duco, rationes consilii mei fusius hic aperire, quæ ad hasce meditationes edendas me impulerunt. Res ipsa loquitur, Schilteri Institutiones Iuris Canonici admodum concisas, ne dicam insufficientes, esse, vt illustrationem & supplementa desiderare videantur. Pluribus mentem meam in præcedente dedicatione aperui, quorsum vnice breuitatis studio me conferam. Non notas scripsi, quæ plerisq; tædium adferre videntur, sed secundum Auctoris institutum omnia iusta connexione, quantum fieri potuit, proposui, &, quæ ei defuerunt, addidi, vt, quæ ad compedium iuris Canonici desiderantur, hisce additis subsidiis suppleta esse videantur. Plura scitu necessaria omisit Auctor, in pluribus etiam incaute secutus est principia Pontificiorum, quæ non adeo commode nostris applicari possunt ecclesiis, adeoque de his emendandis & supplendis laboraui. Addidi etiam in fine *origines præcipuarum materiarum iuris ecclesiastici*, vt eo rectius de conclusionibus inde deductis constare possit. Quodsi Deus vitam & vires concesserit, institutiones iuris ecclesiastici secundũ Schema publico programmate nuper propositũ elaborare animus est. Hisce interim B. L. fruere & studiis meis faue. Dabam Halæ d. 12. Ian. 1712.

LIB.



LIB. I.

Institutionum iuris Canonici DE IVRE PERSONARVM.

Tit. I.

DE NATVRA IVRISPRVDENTIAE SACRAE.

§. I.



IVs ecclesiasticum primario æstimandum est ex *statu* ecclesiarum externarum, h.e. illarum societatum, quibus homines sese vniunt ad Deum colendum iuxta ordinem præscriptum. Sicuti autem societates hominum sunt vel *aequales* vel *inaequales*, ita ante omnia indagandum est, ad quam speciem societatis ecclesiæ referri debeant.

§. II. Pontificii illas ad societates *inaequales*

 rese-

referunt, & ſtatum reipubl. in iis formant, imo eccleſiam vocant *rempubl. eccleſiaſticam*, vti vel ex Marco Anton. de Dominis *tr. de republ. eccleſ.* conſtat. Inde in quouis ſtatu ciuili duplicem effingunt rempublicam, *eccleſiaſticam* & *ciuilem*, ita vt hæc illi ſubordinata ſit, & ab illa dependeat *c. 10. D. 96.* Qui moderatiores ſunt, *concordiam ſacerdotii* & *imperii* quidem quærunt, vti Petrus de Marca & plerique Galli, vt tamen reipubl. eccleſiaſticæ prærogatiuam indulgeant.

§. III. Auctor noſter in eodem principio ſubſtitit, vti ex *hoc* & *tertio titulo* conſtat. Putat rempubl. in duas ſocietates ſeſe pandere, *eccleſiam* & *politiam*, & ita eccleſiam eſſe *partem reipubl.*, imo ſecundum §. *VIII.* eſſe *ordinem imperantium & parentium*, in quo reipubl. differentia a reliquis ſocietatibus æqualibus maxime cernitur. Inde ius eccleſiaſticum in *publicum* & *priuatum* §. 9. diſtinguit. In eo ſaltim a Pontificiis recedit, quod eccleſiam reipubl. coordinet, cum illi rempubl. ei ſubordinent. Et ex hoc præſuppoſito ſtatu reip. omnes concluſiones efformat, vt in plerisque parum recedere a Pontificiis videatur.

§. IV. Condonandum hoc Autori noſtro fuiſſet, ſi ius canonicum in vſum eccleſiarum pontificiarum tradidiſſet, nec ad ſtatum eccleſiarum Proteſtantium hanc doctrinam applicaſſet. Cum vero contrarium ex toto hoc tractatu appareat, merito hoc fundamentum examinan-

nandum eſt, ne in erroneas incidamus conclusiones.

§. V. Examinauit iam plenius hanc hypotheſin B. Pufendorffius *in tr. de habitu religionis ad vitam ciuilem* & dubia a diſſentientibus mota ſolide refutauit, oſtenditque, eccleſiam quidem in republ. ſed non partem reipubl. aut ſtatum ciuilem eſſe. Atque hæc ſententia & Chriſti intentioni & Apoſtolorum inſtitutis omnino eſt conformis, vtpote qui in eccleſiis imperantes haud conſtituerunt, ſed eas ad formam collegiorum æqualium adornarunt, & noluerunt, vt præpoſiti in iis imperarent, ſed exemplar gregis fierent *1 Pet. V.* Directio quædam illis demandari debuit, quod omnibus collegiis commune eſt, ſed hæc nullum imperium, nullam iurisdictionem inuoluit, quæ etiam primæuis temporibus incognita erat.

§. VI. Proprium munus eorum, qui eccleſiis præſunt, in docendo, monendo & redarguendo conſiſtit, a quo omne imperium alienum eſſe debet, alioquin inde Papo-Cæſaria naſcitur. Idem cenſuit Iſidorus Peluſiota *lib. III. epiſt. 216.* aſſerens munus eorum eſſe *miniſterium referendis rationibus obnoxium, non imperium, in quod inquiri nequaquam debeat, paternam procurationem, non tyrannicam pro arbitrio viuendi licentiam, diſpenſatoriam præfecturam, non poteſtatem minime reddendis rationibus obnoxiam.*

§. VII. Nec quod in republ. exiſtat eccleſia, facit, vt pars reipubl. dici debeat, quin potius

tius inde contrarium colligitur, illam iure ceterorum collegiorum censendam esse, cum respublica in republica esse non possit. Inde sicuti princeps in omnia alia collegia, ita quoque in ecclesias inspectionem habet, præcauendo, ne quid in eis in detrimentum reipubl. geratur. Et hæc præcautio hic eo magis necessaria est, quod homines, prout Curtius loquitur, quando superstitione capti sunt, plus obedire soleant vatibus quam ducibus, quod nimia conniuentia Imperatorum luculenter ostendit. Exercet ergo hactenus princeps quilibet ius in *ecclesiam*, quatenus est summus Princeps in republ., sed non *in ecclesia*.

§. VIII. Postquam itaque protestantibus Principibus ius hoc sacrum supremum assertum est, merito quoque ecclesiæ protestantium secundum ius primæuum æstimandæ sunt, ne summæ potestati aliquid detrahamus, vel alios in consortium regiminis sacri iis adiungamus, quorum munus ab imperio alienum est, quod tamen ex hypothesi autoris nostri fluit. Conf. *Ius paroch. Sect. I. c. I.*

Tit. II.
DE LEGIBVS SACRIS ET ORIGINE IVRIS CANONICI.

§. I.

IVrisprudentiam nostram hauriendam esse partim ex legibus *diuinis*, partim ex *humanis*, autor

autor afferit. Ad illas refert *Ius Naturæ*, *præcepta Chrifti* & quodammodo *ius Mofaicum*. *IVS NATVRÆ* omnino huc referendum, quod ficuti in genere omnes focietates & collegia dirigit, ita quoque ecclefiis, prout focietatem externam æqualem conftituunt, hæc præcepta generalia applicari poffunt.

§. II. *PRÆCEPTA Chrifti* funt longe alius indolis. Doctrinam de pietate & vitæ fanctitate continent, non ius proprie dictum. Legislator Chriftus haud fuit, fed Doctor, & ita dogmata eius per modum *legum* haud funt accipienda. Peccant in eo Pontificii, qui ex dogmatibus Chrifti ius externum exftruxerunt, & omnia in peruerfum mutarunt fenfum, vt doctrinæ de redarguendo fratre, claue ligante & foluente, poteftate Apoftolis propria remittendi & retinendi peccata, de Sacramentis &c. docent.

§. III. *IVS MOSAICVM* ceremoniale plane ad N. T. non fpectat. Interim ad hiftoriam iuris canonici vel ideo referri debet, quod primæui Chriftiani plura inftituta traxerint ex moribus Iudæorum & Synagoga vetere, vt Seldenus *de Synedriis* & Campegius Vitringa *de Synagoga vetere* aliique oftenderunt, quamuis ex mera libertate, vt adeoque etiam hæc inftituta ad *ius humanum* referri debeant. Seculo III. præterea ex erroneo principio Sacerdotium V. T. tractum eft in ecclefiam cum omni poteftate regia, olim facerdotibus propria, vti vel Cypriani Epiftolæ oftendunt, unde eccle-

fiæ nouam plane formam acceperunt, & noua quoque ex hoc nouo ftatu nata funt iura.

§. IV. Hæc per tria priora fecula fola conftabant *obferuantia* feu *iure non fcripto*, neque enim canones fcriptos in conciliis illorum temporum editos effe nouimus. Quicquid patres in conciliis ad ordinem ecclefiæ ftatuebant, hoc omne literis Synodicis complectebantur, aliisque ecclefiis communicabant, vti fcriptores illorum temporum oftendunt, quod plenius oftendi in *Diff. de obferuantia ecclef.*

§. V. Vnde minus probabile eft, canones, quos *apoftolicos* vocant, collectos effe ineunte feculo III. prout Autor §. *IV.* innuit. Fundamentum omne vnice inde petit, quod in Concilio Nicæno prouocetur ad *regulas ecclefiafticas* feu *canones*, per quos antea dictos intelligendos effe cenfet. Aft conftat ex hiftoria horum temporum, mores ecclefiafticos etiam *canones* dictos fuiffe, prout oftendi *cit. Differt. c. II.* §. 2. ad quos Patres huius concilii prouocarunt. Quin quod fi iam patres huius concilii ad hos canones, vt authenticos, prouocaffent, omnino quoque *codici canonum vniuerfæ ecclefiæ* inferi debuiffent, quod minime tamen factum eft. Conf. Io. Dallæus *de Pfeud-Epigraphis Apoft. lib. III.*

§. VI. Prima itaque collectio eft in *Codice canonum vniuerfæ ecclefiæ*, in concilio Chalcedonenfi approbato, & fuffragante Leone I. in occidente quoque recepto. Antea quædam ecclefiæ occiden-

cidentales versione quadam vsæ sunt, quam exhibet Iustellus in *biblioth. iur. canon. antiq. p. 274*, quæ tamen in Romana ecclesia auctoritatem nullam habuisse videtur, vti vel Zosimi controuersia cum ecclesiis Africanis ostendit. Sed post concilium Chalcedonense noua versio recepta est, cui adiecti sunt canones Carthaginenses, imo Decreta Præsulum Romanorum, cuius duos codices MSctos se vidisse testatur Petrus de Marca *de vet. collect. canon. c. 2*, vt proinde Dionysius primus haud fuerit, qui suæ collectioni decreta hæc addiderit.

§. VII. Canones Apostolici minime ei adiecti fuerunt, vti ostendit *Præfatio* relata a Petro de Marca *cit. l.* Habuit tamen Gallia anno 580 codicem quendam, cui nouiter adiecti fuere, vti ostendit locus ab Autore §. *VI.* adductus, quod sine dubio priuato cuiusdam ausu factum est.

§. VIII. Atque ex his & aliis ab Autore adductis collectionibus natum est *corpus iuris canonici*, quo hodie vtimur. Insignem hoc ipsum vsum in Germania semper habuit, imo etiam prærogatiuam præ iure Romano, partim quod ante illud iam dudum receptum esset, partim quod opinionem æquitatis & pietatis præ se ferret, credereturq; illud magis conscientiis consulere, quamuis non iniq; forsan dixerit Petrus de Ferrariis *in Praxi Pap. tit. 41. Gl. 3. §. 17. canones de-*

struere statum laicorum, vt amplient sub quadam simulata conscientia statum clericorum.

§. IX. Nec post reformationem eius auctoritas imminuta est, postquam ICti Vitebergenses, Henninges Goeden & Hieronymus Schurffius, magnopere improbarunt factum Lutheri, corpus iuris canonici comburentis. Horum exempla strenue secuti sunt ICti reliqui, qui vsque ad nostra tempora, continuata serie, pro auctoritate iuris huius acriter pugnarunt, quod vel eorum scripta ostendunt, & praxis testatur. Imo cum ius aliquod commune ecclesiarum protestantium deesset, in subsidium recurrendum esse censuerunt ad ius Canonicum, vti Carpzovii *Iurisprudentia Consistorialis* vbique docet, cuius auctoritas in consistoriis adhuc satis magna est.

Tit. III.
DE ECCLESIIS ET ECCLESIASTICA POTESTATE.

§. I.

DE statu ecclesiæ hic solicitus est Autor, vbi rursus hypothesin suam, *tit. 1.* destructam, ingeminat, & in formam quoque huius reipubl. inquirit. Existimat vero §. IV. ecclesiam constitui ex principe seu magistratu politico, populo & clero, & hos in commune consulere de rebus ecclesiasticis. Ortum hic error traxit ex vulgata diuisione, qua hi qui sunt in eccle-

 sia

ſia ita dividuntur, vel vt vulgo loqui amant in dem Lehr- Nehr- und Wehrſtand/ quo factum eſt, vt his omnibus coniunctim imperium ſacrum in eccleſia adſcriberetur.

§. II. Sed ſimplicior, & ſtatui eccleſiæ conformior eſt diviſio, ſecundum quam hi, qui ſunt in eccleſia, dividuntur in *docentes* & *auditores*. Princeps, quatenus membrum eſt eccleſiæ, non conſideratur vt *princeps*, ſed vt *membrum huius ſocietatis*, & ius ſuum *extra eccleſiam* exercet in ſacra, nec in eius exercitio coimperantes habet. Nec hic, quem Autor adfert, conceptus, congruit cum ſtatu veteris eccleſiæ, vti fuſus oſtendi in *diſſ. VIII. iur. eccleſ. antiq. ad Plin. ſecundum, & Tertull.*

§. III. Singulis eccleſiis olim poſt ſeculum I. præerant Epiſcopi cum presbyteris, nec particulares eccleſiæ erant, quibus ſuus deeſſet epiſcopus, vti oſtenditur in libello *de regim. eccleſ. per tria priora ſecul.* a Ienckino Thomaſio edito. Atque hi inter ſe ab initio æquales erant, ut tamen apoſtolicæ eccleſiæ, ab Apoſtolis fundatæ, inſignem auctoritatem haberent. Acceſſit præterea dignitas vrbium, ex quo duplici fonte Antiochenus Alexandrinus & Romanus Epiſcopus præ reliquis eminebant.

§. IV. Romanæ eccleſiæ eminentia iam ſeculo II. ab Irenæo paſſim aſſeritur, vbi contra Hæreticos pugnat, cui *lib. III. adv. hæreſ. c. 3.* adſcribit *potentiorem principalitatem*. Imo ibidem eam vocat *maximam & antiquiſſimam & omnibus co-*

cognitam a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatam & constitutam ecclesiam. Inde paulatim factum, vt episcopus Romanus supremam in omnes ecclesias potestatem affectaret, prout Auctor §. 10. *in f.* innuit.

§. V. Cum vero Auctor de *iure papali* hic nihil vlterius addat, defectum hunc supplebo & potestatem eius, variis modis & occasionibus auctam, in compendio referam, de quo themate pluribus eget Mornayus *in mysterio iniquitatis.* Ab initio potestas Episcopi Romani haud egrediebatur limites illius ecclesiæ, vnde etiam a scriptoribus antiquis *Vrbis Romanæ Episcopus* solummodo nominatur, non *pontifex maximus,* aut *Papa* Euseb. *lib. V. c. 24. lib. VII. c. 7.* Socrates *lib. V. H. E. c. 22.* Qui a vero secundum §. *antec.* in summa apud alias ecclesias celebritate erat, inde mox quandam affectavit in alios potestatem, quod exemplo *Victoris* & *Stephani* constat, sed non sine contradictione.

§. VI. Præterea opinio pervulgata invaluerat, Episcopum R. esse Petri & Pauli, principum Apostolorum, successorem, ex quo principatum præ ceteris quærebat, qui Seculo IV. inprimis erupit, suffragante *c. VI. concil. Nicæni.* Hinc Iulius I. novum ius vrsit, non posse deponi episcopum ab orientalibus, absque suo præscitu Athen. *apol. 2.* Socrates *lib. II. 8.* cuius contrarium docui *in observat. ad Petr. de Marca p. 127.* Accesserunt relationes frequentes, quamvis mera ex libertate, ad episcopum R. de caussis dubiis,

quod

quod postea *iure suo* & veluti *supremus arbiter* vsit. vid. Innocentii I. *epist. ad Episc. Nucerianum.*

§. VII. Obstabant eius ausibus adhuc concilia provincialia, sed horum auctoritatem supprimere tentavit per *concil. Sardicense c.* 3. 4. 7. Petr. de Marca *de C. S. & Imp. lib. VII. c.* 3. Inde postea papa ius appellationes ad se factas recipiendi defendit, seque supremum iudicem constituit, quamvis concilium Sardicense huc non tendat, & tam orientales quam Africani acriter contradixerint. vid. *Cod. can. eccl. Afric. Marca cit. l. lib. VII. c.* 7. 15.

§. VIII. Quin etiam cum pleraque, quæ in conciliis provincialibus essent acta, honoris causa ad Episcopum R. referrentur, rursus inde ansam cœpit hoc *suo iure* petendi, uti constat *ex epist. 2. Innoc. I. ad Victric. Episc. Rhotbomag.* Interim in Oriente valde eius principatum dubium reddebat CPolitanus, nec metropolitani in occidente eius in se protestatem agnoscebant. Hi ergo ante omnia subiugandi erant. Et quidem CPolitanus cedere debuit per Phocæ decisionem, blanditiis Gregorii M. extortam. Quoad hos arte opus erat, quia iure destituebatur. Inde primates & archiepiscopos *vicarios perpetuos* constituebat, honoris qvasi maioris causa, imo eos adigebat, vt omnes pallium, signum vicariatus, ab eo petere necessum habuerint, vt ita ex post facto, non amplius proprio iure, sed potestate vicaria omnia egisse viderentur. vid. M. A. de Dominis

de

de republ. eccl. lib. 3. *c.* 11. §. 25. Item *obſervat. ad P. de Marca. p.* 148.

§. IX. Hoc modo adeo ſuppreſſi ſunt Archiepiſcopi, vt tandem quoque concilia provincialia, auctoritati papæ maxime noxia, deſinerent. Et cum non vbique præſens eſſe poſſet, per legatos ſuos vbique principatum ſuum ſtabilivit, & omnes archiepiſcopos in ſua verba iurare adegit, cum absque hoc iuramento ſubiectionis pallium in poſterum impetrare haud poſſent.

§. X. His velut gradibus ſupremam poteſtatem in omnes eccleſias ſibi acquiſivit, & primatum obtinere cœpit *c.* 1. *D.* 96. Imo nec in hoc ſubſtitit faſtus papalis, ſed etiam reges & principes pedo ſuo ſubiectos eſſe voluit, quod vel Gregorii VII. *dictatus* docent, quo reliquias iuris circa ſacra penitus iis excuſſit, ſi exceperis Reges Galliæ, qui libertatem ſuam hactenus ſtrenue contra eius auſus tuiti ſunt. Vlterius progresſus pontifex, in temporalia ius ſupremum ſibi arrogavit, prout docet conſtitutio Bonifacii IIX. *in extrav. comm.* 1. *de maior. & obed.* Reſtiterunt hisce conatibus plures, quos collegit Goldaſtus *de Monarchia imperii* Conf. Guil. Barclai *de poteſtate papæ, an & quatenus in Reges & Principes ſeculares ius & imperium habeat.* Sic itaque nullum ius ſibi acquiſiuit, ſine ſumma aliorum contradictione, imo quæ posſidet, vi clam vel precario posſidet.

§. XI. Quodſi itaque iura, quæ ſibi tribuit, enar-

enarranda forent, insignem eorum catalogum texere possem. Breuiter: Plura sibi vindicavit reservata circa peccata, aquibus solus absoluit: *c.* 3. *D.* 17. maiores quæstiones ad eum referendæ *c.* 5. *D.* 17. *c.* 3. *C.* 2. *q.* 6. *c.* 11. *seqq.* *c.* 9. *q.* 3. Decretalia eius vim legis vniversalis habent *c.* 1. *D.* 19. ab aliis iudicari nequit *c.* 7. 9. *D.* 21. *c.* 6. *D.* 40. *c.* 23. *C.* 2. *q.* 7. *c.* 10. & 13. *seqq.* *C.* 9. *q.* 3. omnes ecclesiasticas dignitates se fundasse ait *c.* 1. *D.* 22. ad faciem Romanæ ecclesiæ omnia esse componenda contendit *c.* 2. *inf.* *D.* 32. Habet ius evocandi quoscunque clericos *c.* 123. *C.* 1. *q.* 1. *c.* 21. *C.* 9. *q.* 3. Omnes ad sedem Romanam appellare possunt *c.* 5. *seqq.* *c.* 2. *q.* 6. Ei subsunt omnia iudicia episcopalia *c.* 6. *c.* 9. *q.* 3. Potest in quauis ecclesia ordinare clericos, quia omnium beneficiorum se dominum dicit *c.* 23. *c.* 9. *q.* 3. Synodos generales convocat, easque derigit, & nihil fere excogitari potest, quod sibi non adscripsit.

§. XII. Valde tamen restricta est eius potestas per concordata Nationis Germaniæ, quæ autor in fine suarum *institut.* refert. Imo per reformationem adeo fracta est, vt ne quidem in terris Catholicorum amplius pristina libertate gaudeat, nedicam, in terris protestantium penitus eius potestatem omnem sublatam esse per *instrum. pac.* Dico, *potestatem eius sublatam esse:* iura ipsa, quæ ante papa in ecclesias, intra territorium protestantum sitas, exercuit, eo ipso

haud

haud sublata, sed salua & illibata manserunt, vnde, quia ex iure circa sacra fluunt, quod supremæ potestati cohæret, merito iura hæc Dominis territorii adscripta sunt. Illi hæc suo iure exercent, non quatenus Papæ sed quatenus principes sui territorii sunt. vid. Dn. Stryk. *de iure papali princip. Evangel.*

§. XIII. Pergo cum Autore ad statum varium ecclesiarum, qui, prout §. XII. innuit, variam mutationem accipit ab *vnione* & *dismembratione*. Est etiam hæc materia scitu necessaria, adeoque supplenda: *Vnio est plurium ecclesiarum coniunctio iusta ex causa facta, vt post hanc coalitionem vnam constituant ecclesiam.*

§. XIV. Primo requiritur *iusta causa*. Odiosa communiter dicitur vnio, & regulariter prohibita, quia non raro fieri sueuit in fraudem legis ad multiplicationem beneficiorum introducendam *c. 3. C. 10. q. 3. c. 1. C. 21. q. 1. c. 3. de cler. non resid.* Iusta autem causa est, paupertas ecclesiæ alteri vniendæ, quod ministro ecclesiæ alimenta suppeditare non possit *c. 4. in f. de ætat. & qual.* si ecclesia sit destructa, nec reparari queat, si penuria idoneorum ministrorum adsit, si ecclesia aliunde proprium habere ministrum impediatur. &c. vid. Slevogt. *de vnion. eccl. diss. 1. c. 2.*

§. XV. Deinde requiritur *causæ cognitio*, & *Decretum* eius, qui ius circa sacra habet, & iurisdictionem in ecclesias vniendas. Inde Pontifex quasacunque ecclesias vnire potest *c. 8. X. de*

ex-

excess. prælat. Episcopi vero tantum ecclesias in sua diœcesi sitas, imo & beneficia seu bona ecclesiastica, quo iure etiam gaudet capitulum, sede vacante vel impedita. Sed in Germania tamen vnire non possunt contra I. P. & statum ecclesiarum & bonorum ecclesiasticorum, qui fuit *anno* 1624. *d.* 1. *Ian.* Vicarii generales episcoporum hanc potestatem non habent, nisi speciatim eis concessa fuerit. In terris protestantium vniones fiunt decreto principis territorii, non a consistoriis, & si ecclesiæ in diversis territoriis sunt sitæ, vtriusque domini consensus concurrere debet. Vocandi quoque sunt ad actum vnionis hi, quorũ interest, veluti patroni, non vero parochi, cum demum post eorum mortem vnio effectum sortiatur. vid. Sleuogt. *diss. II. de vnion. eccles. c.* 1.

§. XVI. Præterea & *ecclesiarum vniendarum* habenda est ratio. In Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 13. hoc provisum est: *In vnionibus quibuslibet seu ex supra dictis seu ex aliis causis faciendis ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis seu dignitatibus, siue prælendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ siue aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus militiisque non vniantur;* visa fuerunt hæc beneficia incompatibilia; quod Parochiæ alium scopum haberent, quam reliqua beneficia adducta. Similiter *sess. XIV. de reform. c.* 9. vnio prohibita est beneficiorum in diuersis diœcesibus sitorum, quia confusionem insignem inducit, quod tamen in territoriis protestantium non semper

ar-

attenditur. Obtinet etiam vnio in bonis ecclesiasticis, quæ cum semel ad vsus pios destinata sunt, academiis aliisque piis causis uniri possunt, quatenus instrumentum pacis non repugnat. Exempla habet Slevogt. *cit. diss.* I. *c.* I. *§.* 4.

§. XVII. Vnio tribus modis fit (I) cum ecclesiæ ita confunduntur, vt ex duabus vna fiat, & ita vna, quæ alteri accedat, supprimatur, de qua specie Auctor loquitur in §. 12. *inf.* (II) Vt ecclesiæ maneant distinctæ, sed vna alteri subiiciatur, alteraque *matrix*, altera *filia* vocetur, de qua Auctor etiam *cit. l.* loquitur. Cum vero filialistæ adhuc proprias habeant ædes sacras, parochus in ecclesia matrice residens etiam ibi sacra peragit. In effectu sunt duæ parochiæ ratione sacrorum separatæ, sed ratione parochi coniunctæ. Hæc vnio etiam potest contingere si ex reditibus ecclesiæ, quæ copia hominum abundat, noua ædificetur, & priori ministro ecclesiæ subiiciatur, conf. B. Hertius *de eccles. filiabus.* Hoc casu filia retinet propriam suam iurisdictionem, si in diuerso territorio sita fuerit *c.* 2. *X. de relig. domibus* Conf. Nicolai, *resol. I.* Hæc vnio etiam contigit in ordine ensiferorum, vnito cum Teutonico. (III) Vt duæ ecclesiæ vniantur æquæ principaliter, & neutra neutri subiiciatur, sed communi tamen ministerio fruantur, quale exemplum est in *c.* 48. *C.* 16. *qu.* 1. In hac vnione vnaquæque ecclesia sua iura integra reseruat.

§. XIIX.

§. XVIII. Omnes species quidem in eo conueniunt, quod habeant communem ecclesiæ ministrum; ast circa onera differentia adest. In secunda & tertia specie parochiani vniuscuiusque ecclesiæ tantum contribuunt ad refectionem propriæ ecclesiæ, non alterius vnitæ: sed ad ædium Parochialium refectionem omnes contribuunt. De effectu vnionis plura habet Slevogt *cit. tr. Diss. IV. c. I.*

§. XIX. Quemadmodũ ex iusta causa vnio fieri potest, ita, eadem causa suggerente, rursus dissoluitur, qua deficiente itidem prohibita est dissolutio. Et quidem hæc quoque facienda est auctoritate ejus, qui iurisdictionem in ecclesiam vnitam habet, & consequenter si in diuersis territoriis sitæ fuerint ecclesiæ dissoluendæ, vtriusque territorii principis auctoritas accedere debet. Breuiter: qui habet ius vniendi, habet etiam ius vnitas dissoluendi. Neque enim filialistis concessum est, propria auctoritate sibi ecclesiam construere, seque a matrice diuellere. Imo quamuis nobiles immediati imperii iurisdictionem sacram habeant, non tamen in propriis pagis, quorum incolæ ad ecclesiam alterius nobilis tanquam filialistæ relati sunt, ecclesiam ædificare, & subditos suos a pristina parochia auocare possunt. Facta plenaria dis-

ſolutione omnia in priſtinum reſtituuntur ſtatum. Vid Slevogt. *cit. tr. diſſ. IV. c. 1.* Nicolai *reſ. 2.* Espen *in iur. eccleſ. P. 2. tit. 29. c. 4.* Leurenius *in for. benef. p. 3. qu. 934. ſeqq.*

§. XX. Huc etiam pertinet *dismembratio*, quando quædam bona a beneficio ſeparantur & alteri applicantur, remanente beneficio penes ordinarium miniſtrum eccleſiæ. Hoc itidem cauſæ cognitionem auctoritatemque eius requirit, qui ius ſupremum in illa bona habet, modo præcaueatur, ne contra I. P. & ſtatum anni 1624. d. 1. Ian. fiat. Conf. Garcias *de benefic. p. 12. c. 2. & 3.* Petrus Leurenius *in foro beneficiali P. 3. Sect. 2. c. 2. qu. 946. ſeqq.*

Tit. IV.
DE SYNODIS.

§. I.

SYnodorum inſtitutio eſt antiquiſſima, ſed non omnium vna eademque ratio eſt. Originem earum communiter quærunt in conuentu Hieroſolymis inſtituto, de quo *Act. XV.* agitur, in quo tamen ordinaria chriſtianorum coitio tantum deprehenditur. Compromiſerant hi, qui in Antiochena eccleſia inter ſe contenderant de obſeruantia legis Moſaicæ, in ſententiam eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & ita ex compromiſſo

misso in hac ecclesia de illa quæstione agebatur. Tales coitiones plures factæ sunt in ecclesiis, quando de caussis dubiis deliberandum erat, quæ tamen Synodi haud dicuntur, alioquin prima Synodus quærenda esset *Act. VI.*

§. II. Aliunde ergo ratio Synodorum petenda est. Scilicet pacto mutuo in singulis ecclesiis constituta erant iudicia, a tota ecclesia obeunda, quod plenius ostendi *Diss. III. Iur. eccl. antiq.* Cum vero paulisper ecclesiæ in vna prouincia sitæ, ex ratione vicinitatis coalescerent, facile contingere potuit, vt iudicia, quæ ex conuentione in singulis ecclesiis exercebantur, in communi conuentu ecclesiarum vnius eiusdemque prouinciæ peragerentur, quoties de rebus communibus agendum esset. Atque ita Synodi prouinciales fundamentum reliquis omnibus Synodis dederunt.

§. III. Fuerunt itaque Synodi prouinciales reuera primis temporibus iudicia quædam ecclesiastica, ex omnibus ecclesiis collecta, maxime vt de rebus ad disciplinam pertinentibus iudicaretur. Sed desinere debuissent, vbi Constantinus rebus ecclesiasticis præesse cœpit, quod tamen minime factum est.

§. IV. Sed conniuentia Cæsarum Synodi prouinciales magis sunt confirmatæ, adeo

vt *c. 5. Concil. Nic.* cautum legamus, singulis annis bis per vnamquamque prouinciam Synodos esse instituendas, quod etiam repetitum in *concilio Antioch. c. 20.* vt ad dirimendas causas dubias & controuersas hæ fierent. Ita ab ecclesiis particularibus in has curias iudicia translata sunt, quo ipso & ius plebis imminutum & Cæsarum iurisdictio in sacra fere sublata est.

Tit. V.
DE IVDICIIS ECCLESIASTICIS ET FORO COMPETENTE.

AGit in hoc titulo Autor de *iudiciis ecclesiasticis*, sed quædam vix tangit, plura etiam, quæ ex iure canonico dependent, omisit, vnde hæc distinctis membris supplenda esse censui.

Membrum I.
DE RATIONE CONSISTORIORVM NOSTRORVM.

§. I.

IN terris protestantium consistoria causis dirimendis ecclesiasticis destinata sunt, quemadmodum hæc quoque apud Pontificios deprehenduntur. Sed præter *iurisdictionem stricte acceptam* alia exercent; plura

etiam iis interdicta & principi reseruata sunt, vt de certo fundamento adhuc ICti hæsitent, quod tamen ex ratione consistoriorum Pontificiorum facile desumi potest, ad cuius imaginem nostra formata esse constat. Creditum enim fuit antiquitus, Principes esse Episcopos in suis territoriis, adeoque illis esse reseruata, quæ olim Episcopis & officialibus eius haud concessa erant.

§. II. Postquam Episcopi ius omne sacrum in suis Diœcesibus ad se traxerunt, quod *Iurisdictionis* nomine venire solet, *iudices ordinarii* inde sunt dicti, & aliquot seculis ipsimet causis dirimendis incubuerunt. Sensim potestate eorum & sic quoque multitudine negotiorum aucta, quædam negotia leuiora Archidiaconis delegarunt, vnde adhuc hodie *iudicia archidiaconalia* supersunt, plurima autem sibi reseruarunt. Sed postquam etiam his expediendis impares essent, *vicarios*, qui specialius *officiales* vocantur, sibi constituerunt, qui iurisdictionem exercerent, & tribunali ipsius Episcopi seu eius consistorio præessent. Vnde in Porussia adhuc Præsides consistorii vocantur *officiales*. Conf. Petrus Leuren. *de Vicar. Episcop.*

§. III. Postquam itaque hæc consistoria ad perpetuum iurisdictionis exercitium semel constituta sunt, officiales dicuntur habere iurisdictionem ordinariam *c. 2. de*

consuet. in 6. Leurenius *cit. tr. qu. 69.* quod etiam de nostris consistoriis asseritur, B. Dn. Stryk. *ad Ius eccl. Brunnem. lib. III. c. 1.* §. 1. Hæc tamen adhuc superest differentia, quod ab officialibus non appelletur Episcopus, Leuren. *cit. tr. qu.* 74. nisi sit *vicarius foraneus:* bene tamen princeps, quippe qui plus iuris habet, quam Episcopus, imo independentem in sacris potestatem.

§. IV. Licet vero officiales vices episcopi gerant, & *iurisdictionem* nomine eius exerceant, Pontificii tamen ipsimet dubitant, quæ potestas hac voce comprehensa sit, cum *iurisdictionis* terminum nimis extendant, & plerumque ius omne in sacra sub eo complectantur Leuren. *cit. tr. qu.* 107. Scilicet sub iurisdictione ipsi concessa hæc iura referuntur: iudicandi de causis controuersis, absoluendi, relaxandi, puniendi excessus clericorum, matrimoniales causas dirimendi, excommunicandi, suspendendi, interdicendi, instituendi præsentatos, & confirmandi, dispensandi in leuioribus, confirmandi alienationes &c. vid. Leurenius *cit. tr. qu. 96. seqq.*

§. V. Plura tamen Episcopo reseruata sunt, quæ *Officiales* seu eius consistorium expedire nequit, quales sunt *causæ maiores*, & *gratiæ*. Sic dispensatio in causis maioris momenti ipsi est interdicta Leuren. *art. I.*

qu.

qu. 119. Idem dicendum de Synodorum convocatione, literarum dimiſſorialium datione, auctoritatis interpoſitione in exſtruendis templis & monaſteriis, legum eccleſiaſticarum promulgatione, cognitione cauſarum criminalium, & feudalium, exactione ſubſidii charitatiui, erectione nouarum dignitatum & beneficiorum, vnione & dismembratione, collatione beneficiorum, & pluribus aliis, de quibus plenius agit Leurenius *cit. tract.*

§. VI. Poteſtate Epiſcoporum ſublata, in territoriis proteſtantium, ſalua manſerunt conſiſtoria eorum, in quibus reuera illa peraguntur, quæ antea in conſiſtoriis Epiſcoporum. Imo quidam horum conſtitutionem adeo neceſſariam eſſe crediderunt, vt princeps iudicio ſeculari has cauſas committere haud poſſit Carpz. *lib. Iurispr. conſiſt. def. II.* quæ hypotheſis tamen fluxit ex erroneo conceptu de epiſcopatu noſtris principibus competente. Vnde quando noſtris conſiſtoriis adſcribitur *Iurisdictio eccleſiaſtica*, illa eodem ſenſu accipienda eſt, quo apud Pontificios accipi ſolet, quod vel ex iuribus, quæ conſiſtorio tribuuntur a Brunnemanno *lib. III. de iur. eccleſ. c. I.* §. *37.* conſpicuum eſt. Cauſæ maioris momenti & gratiæ imo ipſa referuata Papalia ſecretiori conſilio principis reſeruantur.

MEMBRVM II.
DE IVRISDICTIONE DELEGATA SEV COMMISSARIIS.

§. I.

IVdices ſunt vel *ordinarii* vel *extraordinarii*. Hi dicuntur, quibus certæ cauſæ cognitio extra ordinem eſt comiſſa & delegata, vnde *delegati* & *commiſſarii* dicuntur. Cum enim cauſæ non tantum per viam appellationis, ſed etiam in prima inſtantia ad Pontificem deferri poſſint, non autem expediat, eos omnes ad ſuum tribunal trahere, illas per delegatos iudices dirimere ſolet Espen *in iur. eccl. P.* 3. *tit.* 5. *c.* 2. §. 4. vnde praxis commiſſionum harum late in iure canon. explicatur. Vid. *t. t. X. de offic. & pot. iudic. deleg.* Interim tamen caute circa applicationem huius doctrinæ ad fora noſtra procedendum.

§. II. Delegare poſſunt inprimis (1) Pontifex & (2) eius Delegati, quibus ſubdelegandi competit poteſtas *c. 6. X. de offic. & pot. iud. deleg.* quia ad inſtar ordinariorum habentur. Espen *cit. l.* §. 18. & Pontifex non aliis, quam in dignitate eccleſiaſtica poſitis, delegare debeat *c. 11. de reſcript. in* 6. quod etiam admittendum eſt, ſi Imperator ſtatibus imperii delegauerit, qui itidem ſumma præfulgent dignitate. (3) *Ordinarii*, quales ſunt Episcopi & prælati, quibus compa-

randi sunt principes imperii; non vero delegati ordinariorum, quippe qui subdelegare vel ideo non possunt, quod tanta non polleant dignitate, quod etiam de delegatis statuum Imperii dicendum est. Similiter ad totam causam delegare non possunt officiales Episcoporum, bene tamen ad quosdam actus Espen. *cit. l.* §. 8. quod etiam iuris est in magistratibus subalternis, qui commissiones decernere possunt ad amicabilem compositionem, rationes recipiendas, ocularem inspectionem, examen testium &c.

§. III. Delegatio fit vel *ex officio*, si vtilitas reip. id postulat, vel *partibus petentibus*. Hoc interest, quod hæc decernatur sumtibus petentis, & declinari possit; illa vero expediatur communibus sumtibus, nec declinari queat. B. Dn. Stryk *de clauf. commiss. c. 1. n. 59. seqq.*

§. IV. Delegantur vel vnus vel plures. & quidem hi vel *collectiue* vel *sigillatim* considerati. Priori casu, quia vnam personam repræsentant, vt capitulum, per subdelegatum commissionem datam expediunt. Posteriori vero interest, vtrum sint dati *simpliciter* seu *indefinite*, an *definite*. Prius fit, si nulla clausula, quomodo procedere debeant, adiecta fuerit, & hoc casu omnes coniunctim procedere debent *c. 6. de procur. in* 6.

adeo vt, vno absente, reliqui sine nullitate procedere non valeant *c. 16. & 22. X. de offic. & pot. iud. del.* licet vel maxime vnus ex his mortuus sit, quia & sic reliquorum expirat iurisdictio *c. 42. X. eod.* nisi intuitu dignitatis facta commissio *c. 14. X. eod. c. 5. de rescript. in 6.* Adeo autem gesta a præsentibus nulla sunt, vt nequidem subsistant, si vel maxime ea absens ratihabeat, vel etiam partes. Dn. Stryk. *de deleg. princ. c. 3. n. 51.* Ziegl. *ad Lancell. Lib. III. c. 1. §. 18.* potest tamen absens vices suas vni ex præsentibus delegare, vt valide procedant *c. 6. X. de offic. & pot. iud. del.*

§. V. Definite commissio decernitur, si pluribus sub certa clausula iurisdictio delegata est. Huc pertinet (1) clausula *in solidum* vel *vt vnus, aut duo, vel omnes procedant* samt oder sonders. Hæc aliquando subintelligitur, vt in electionibus & postulationibus *c. 6. de procur. in 6.* quorsum forsan respexit *A. B. c. 19.* vnde & in electione imperatorum plures legati non simul admittuntur, sed vnus tantum. Effectus huius clausulæ est, quod alter absque altero procedere possit, &, vno negotium inchoante, reliqui se intromittere nequeant, nisi ille impediatur, vel recuset causam dirimere *c. 8. de offic. & pot. iudic. deleg. in 6.* vel si adiecta sit clausula: *quod non melius fieri debeat condi-*

tio

tio occupantis A. B. c. 19. Perpetuata autem iurisdictione ab vno, quod per citationem fit *c. 20. X. de offic. & pot. iudic. del.* eo casu, illo mortuo, perpetrata censetur quoad omnes *c.* 8. *cit.*

§. VI. Porro (II) huc pertinet clausula *si non omnes potuerint interesse, vt reliqui non impediti procedant* samt und sonders/ quæ clausula sua natura conditionalis est. *c.* 13. *X. de rescript.* Inter est vero, vtrum *indefinite* concipiatur, vt germanice fieri solet, & sic quodcunque impedimentum comprehendit; an vero *definite*, v. c. *si non potuerint* &c. quo casu tantum *ineuitabilis necessitatis articulus* comprehensus censetur *c. cit.* 13. siue sit impedimentum *facti*, siue *iuris*, adeoque casus *voluntatis* haud comprehenditur, qui tamen priori casu comprehensus censetur *c.* 21. *X. de offic. & pot. iud. deleg.* Inde impeditus hoc denunciare debet suis concommissariis *c.* 13. *cit.* alioquin si reliqui procedant, vbi de impedimento eis non constat, nulliter procedunt *c.* 16. *de offic. & pot. iudic. deleg.* E contrario vbi de impedimento constat, reliqui adeo soli procedere possunt, vt subdelegatum impediti admittere haud teneantur *c.* 34. *X. eod.* Huius clausulæ quoque hæc virtus est, vt si vnus ex commissariis tanquam suspectus recusetur, concommissarii de causa suspicionis cognoscere

va-

valeant *c. 4. de off. & pot. iudic. deleg. in 6.*

§. VII. Quod negotia ipsa concernit, vel delegantur ad *totam causam*, vel ad *partem*. Priori casu rursus vel *definite* vel *indefinite*. Illud contingit, si modus procedendi præscriptus veluti, vt procedant *de simplici & plano, sine strepitu iudicii & figura clem. sæpe de V. S. c. 13. 26. X. de iudic. c. 25. X. de accus. c. 43. de elect. in 6.* vel *sola veritate facti inspecta* vid. B. Dn. Stryk. *de iudic. princ. ad solam fact. verit. §. 7. seqq.* Addi etiam solet clausula *remota recusatione*, quo casu tamen aperta suspicionis causa non censetur exclusa Guil. *1. obs. 33. n. 5.* Item *remota appellatione*, quæ omnem subdelegationem impedit *c. 27. X. de offic. & pot. iud. del.* vid. Brunnem. *diss. de rescript. princ. appell. remov.* Si indefinite causa est commissa, forma ordinaria iuris est seruanda *c. 13. X. de offic. & pot. iud. del.* vnde & de exceptione sub&obreptionis delegatus cognoscit Gonzalez ad *c. 20. de rescript. n. 11.* & sententiam suam exequitur. Posteriori casu stricte commissionis limites servandi sunt *c. 40. eod. c. 37. eod.* veluti si tantum dentur ad amicabilem compositionem, ad nudam notionem, cum vel sine voto, vel tantum ad executionem.

§. IIX. Expirat delegatio (1) revocatione re integra facta *c. 6. eod. in 6.* vel re non integra, si

si sibi potestatem reuocandi reseruauit *c. 7. eod. in 6.* (II.) morte delegantis vel delegati, re adhuc integra *c. 14. X. de offic. & pot. iudic. del.* vel eius, contra quem commissio impetrata *c. 36. X. de rescript.* (III) recusatione suspecti *c. 17. & 25. X. de offic. & pot. iud.* (IV) facta exemtione *c. 9. eod.* (V) lapso tempore, nisi prorogatio partium accesserit *c. 4. X. eod.*

MEMBRVM III.
DE ARBITRIS.

§. I.

INter *extraordinarios* iudices quoque referendi sunt *arbitri* consensu litigantium assumti, vt eorum sententia controuersia decidatur. Hi sunt vel *voluntarii* vel *necessarii.* Illi pro litigantium arbitrio recipiuntur, mediante compromisso, quales olim erant Episcopi ad controuersias decidendas a partibus assumti. vid. Sam. Basnage *tom. II. annal. diss. de tribunal. eccles.* Hi vero sunt, qui ex legis necessitate constituuntur, veluti ad cognitionem de recusatione suspecti *c. 39. de offic. & pot. iud. deleg.* vel ad controuersiam religionem concernentem per Instr. P.

§. II. Recipiuntur arbitri consensu solo interueniente, nec de iure canon. *iuramentum* ex-

excluditur *c. 2. & 9. X. de arbitr.* In quo recessit a iure ciuili *Nov. 82. c. 11.* adeoque habiles iudicandi, in quos partes consenserunt, licet alias recusari potuerint, veluti quod mulieres sint, modo iurisdictionem patrimonialem habeant *c. 4. X. de arbitr.* vel iudices ordinarii *c. 5. X. h. t.* Speciatim tamen compromitti nequit in laicos quoad causas ecclesiasticas *c. 8. tr.* nisi (α) coniunctim cum clericis in eos arbitrium dirigatur *c. 9. X. eod.* vel [β] causa mere temporalia concernat.

§. III. Cum compromissum lubrico & incerto eventui exponat controuersiam, tantum compromittere possunt domini rerum suarum; non administratores bonorum ecclesiasticorum, aut syndici, nisi speciale mandatum habeant, imo nequidem Episcopi aut Prælati sine consensu capituli, si lis de rebus ecclesiæ mota fuerit. Ex eodem fundamento quoque fluit, quod compromitti nequeat [1] de *causis matrimonialibus*, quatenus transactionem respuunt; facilius de sponsalibus *c. 2. X. de sponsal.* [2] de *beneficiis ecclesiasticis* prælaturis vel Parochiis. [3] de iis, quæ priuilegiatum iudicem habent *c. 8. de priuil. in 6.* quippe quæ non subsunt priuatorum arbitrio.

§. IV. Compromitti solet in vnum vel plures. Posteriori casu eadem obseruanda,

quæ

quæ de commiſſariis antea adducta, cum æque recipi poſſint cum clauſula ſamt und ſonders vel ſamt oder ſonders. In hoc diuerſitas ſupereſt, quod ubi *ſimpliciter* accepti ſunt, vno impedito vel recuſante, reliqui valide procedere poſſint contra iuris ciuilis diſpoſitionem *c.2.de arbitr.in 6.* Conſultius vtique eſt, vt impares numero aſſumantur *c.1. X. h.t.* interim ſi pares aſſumti ſunt & inter ſe diſcordent, eligere tertium haud poſſunt, vtut compromiſſo hoc eſſet comprehenſum *c.12. X. h.t.* Similiter nec ſubſtituendi facultas eis competit, niſi compromittentes hanc quoque facultatem eis indulſerint *c. 13. X. h. t.*

§. V. In genere poteſtas arbitrorum reſtricta eſt ad terminos compromiſſi, & ſic tantum de cauſa decernunt, ob quam aſſumti ſunt *c.6. X. h.t.* & quidem modo præſcripto, adeoque coram eis reconuentio fieri nequit *cit. c.6.* Si modus non præſcriptus, formam iuris ſequi debent, adeoque laudum eorum nullum eſt, latum contra rem iudicatam *c.11. X. h.t.*

§. VI. Laudo arbitrorum præciſe ſtandum eſt *c.33. C. 2.q.6.* nulla admiſſa appellatione, niſi ab arbitris iuris *c.11. de offic. & pot. iud. deleg. in 6.* In hoc differt ab arbitrio arbitratorum, a quo conceditur *reductio ad arbitrium boni viri l.76. ſeqq. pro ſoc.* quæ eſt illa

illa ipsa actio, quæ ex negotio quod alterius arbitrio commissum est, fluit. Vires tamen suas amittit, si (1) contineat peccatum *c. 23. X. de iurei. c. 2. X. h. t.* de quo cognoscit iudex ordinarius. (2) Si sit contra formam compromissi, *c. 52. de elect.* (3) aut iuri repugnet *c. 7. X. de confirm. vtil. vel inutil.*

§. VII. Extinguitur compromissum I) morte vnius ex compromittentibus *c. 10. & f. X. h. t.* nisi in heredes conceptum sit. II) morte arbitri, quia personæ industria electa censetur III) lata sententia IV) transactione vel moto concursu V) lapsu temporis, nisi prorogatio compromittentium accesserit.

MEMBRVM IV.
DE POSTVLANDO.

§. I.

IVdicium non tantum constituitur ex personis iudicantibus sed etiam litigantibus: Pro his alii interuenire solent vel postulando vel procurando. Postulare est desiderium suum vel alterius in iudicio proponere, vel alterius desiderio contradicere.

§. II.

§. II. Postquam ecclesiæ bonis & iuribus abundare cœperunt, de *aduocatis* quoque cogitatum est. In *cod. can. Afric. eccl. c. 97.* ita ea de re cautum: *Placuit etiam, vt petant ex nomine prouinciarum omnium legati perrecturi, Vincentius & Fortunianus a gloriosissimis Imperatoribus, vt dent facultatem, defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, vt more sacerdotum prouinciæ iidem ipsi, qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitauerit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.* Res ex voto cessit, & ecclesiis advocati dati sunt, vti constat ex *l. 38. C. Theod. de episc. eccl. & cler.* quæ paulo post lata est. Neque enim muneri clericorum conuenire videbatur, causas ecclesiarum in iudicio peragere. Ab his tamen advocatis omnino distinguendi sunt, qui defensionem ecclesiarū contra vim imminentem armis susceperunt, de qua aduocatia agit Anton. Matthæi *de nob. lib. II. c. 29.* vbi etiam de prioris generis aduocatis agit. Conf. *Obseruat. 18. ad Petr. de Marca lib. I. de C. S. & imper. c. 12.*

§. III. Sed tempora sequentia mutarunt mores clericorum. Equidem interdictum clericis, etiam in minoribus ordinibus constitutis, ne coram seculari iudice causas se-

culares orarent *c. I. & fin. h. t.* Propriam tamen suam causam vel ecclesiæ suæ vel miserabilium persequi non prohibentur *c. I. X. h. t.* quod priscis temporibus aduersatur, Monachi & canonici regulares itidem admittuntur pro vtilitate ecclesiæ & monasterii sui, sed non nisi ex præcepto abbatis *c. 2. X. h. t.*

§. IV. Satis vtique graue est munus ministrorum ecclesiæ, vt merito a postulando arceantur etiam in ecclesiis protestantium. Imo hoc adeo extensum est in Saxonia alibique, vt ne quidem ludimoderatores, & æditui admittantur Carpz. *lib. I. Iurispr. eccl. def. 89.* Similiter quoque clerico interdictum est Tabellionatus munus *c. 8. X. de cler. & monach.* Interim si Notarius antea publice creatus esset, suo modo adhiberi posset ad illa, qua a Notariis sunt expedienda, Brunnem. *in iur. eccl. L. I. c. 6. m. 10. §. 9.* modo rerum ciuilium peritus fuerit, alioquin partibus ad interesse tenetur, quod etiam de æditius dicendum est. Dn. Stryk. *in not. ad ius eccl. Brunnem. cit. l.*

Membrum V.

DE PROCVRATORIBVS ET SYNDICIS.

§. I.

§. I.

PROCVRATOR est, *qui negotia aliena iudicialia mandato Domini, vel qui pro Domino habetur, administrat & suscipit.* Estque vel *generalis* qui ad agendum & defendendum ac generaliter ad omnia constitutus est: vel *specialis*, cui certa tantum causa commissa. Ille licet maiorem habeat agendi licentiam, admitti tamen non debet ad aliquem articulum in quo speciale mandatum exigitur, nisi aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adiecta clausula generali, quia tunc ad non expressa etiam admittitur *c. 4. de procur. in 6.* Porro vterque potest dari vel *cum libera* vel sine. Ille etiam ea peragere potest, quæ mandatum speciale requirunt *c. 4. in f. cit.* modo probabile ex circumstantiis sit, dominum, si præsens esset, idem facere velle, quo iure etiam hodie vtimur.

§. II. Constituunt procuratores domini causarum maiorennes; imo etiam minorennes in causis beneficialibus & spiritualibus *c. f. de iudic. in 6.* Habentur etiam pro dominis Episcopi & Prælati, ob ius in sacra; *c. 9. X. de procur.* Nudi administratores ecclesiarum eadem potestate non pollent, sed potius hi, qui repræsentant ecclesiam, Syndicum constituunt, qui regulariter ab vniversitate constituitur, quamuis de iure

canonico hæc diuersitas haud attendatur *c. 7. & 9. X. eod.* Excluditur excommunicatus, qui ad agendum procuratorem dare nequit, bene ad defendendum. Vid. tamen *c. f. h. t.*

§. III. Qualitates procuratorum de iure canonico sunt: (1) vt sint *maiorennes c. 6. in f. h. t. in 6.* quod de iure ciuili dubium. (2) *Integræ famæ*, si clericorum causas agere velint Engel *in coll. Iurid. h. t. n. 7.* (3) *haud excommunicati c. 7. X. de iudic.* quo intuitu etiam hæretici arcentur, quod tamen ad tres religiones in imperio per I. P. approbatas extendi, & ita aduocatis & procuratoribus eo nomine inhabilitas opponi nequit, vid. *I. P. art. V. §. 35.* (4) *Laici*, etiam in causis spiritualibus *c. 1. h. t. in 6.* Clerici non admittendi eadem ratione, qua a postulando arcentur. (5) *masculi.* Abbatissa in causa cœnobii admittitur *c. 4. X. de confirm. vtil. vel inutil.* quamuis eo casu magis officii nomine quam procuratricis agat.

§. IV. Si plures sunt simpliciter constituti, de iure canonico *coniunctim* censentur dati, vt alter sine altero non possit admitti *c. 6. de proc. in 6.* exceptis causis electionum & postulationum *cit. c. 6.* Ast plures Syndicos, simpliciter datos, *in solidum* constitutos censeri volunt, quod ius ciuile quoad hos non correctum sit. Carpz. *P. I. Decis. 16.* Schilt.

pr.

pr. iur. Rom. ex.10. §. 53. Verum hanc differentiam non agnoſcit ius canonicum, quod non adeo diſtinguit inter Procuratores & Syndicos *c. 7. & 9. X. h. t.* Conf. B. Dn. Stryk *in Vſ. mod. tit. quod cuiusu. vniu. nom. §. 12.* Tunc vero alter abſque altero recte procedit, ſi dati ſunt cum clauſula *in ſolidum*, quo caſu præfertur, qui per litis conteſtationem dominus litis factus eſt. *c. 6. h. t. in 6.*

§. V. Conſtitui poteſt procurator tam in *ſecularibus* cauſis quam *eccleſiaſticis*, & ſic etiam in matrimonialibus. *c. 10. X. h. t.* Quia tamen hæ criminalibus æquiparantur, litis conteſtatio per procuratorem non admittitur, quo ex geſtibus vultu aliisque indiciis veritas erui poſſit. Brunnem. *in iur. eccl. lib. III. c. 3.* §. 1. Sic etiam in criminalibus, ſi criminaliter agitur, procurator admitti nequit *c. 15. & 16. de accuſ.* niſi tantum de punctis incidentibus agatur.

§. VI. Conſtituitur *mandato* etiam *tacito clem. 1. h. t.* tam *in iudicio* ad acta, quam *extra iudicium*, ſecundum formam & ſtylum cuiusque curiæ. Absque mandato comparens regulariter non admittitur *c. 1. X. h. t. c. 12. eod.* adeoque exceptio *illegitimationis* ſemper opponi poteſt. Conſtitutus ita procurator ſit *dominus litis*, etiam de iure canonico *c. 6. h. t. in 6.* inde ſubſtituendi facultatem habet, nec facile reuocari poteſt

c. 2. h. t. in 6. Sed totam litem peragit, imo & appellare debet, appellationem autem persequi non tenetur *c. 14. in f. h. t.* secus ac de iure ciuili, ob dominium litis. Verum hoc dominium litis hodie in praxi vix vsum habere, ostendi *diss. de dominio litis c. III.*

§. VII. Definit potestas procuratoris per *reuocationem*, tam *expressam* quam *tacitam*. Hoc fit (1) Si Dominus causam per se tractare incipiat, non vero si tantum procuratori assistit *c. 8. de Proc. in 6.* (2) Dato posteriori procuratore *c. 14. X. eod.* Reuocatio tamen ad notitiam iudicis vel aduersarii perueniare debet, alioquin quod reuocatus procurator agit, ratum esse debet *c. 13. X. eod.* excepto procuratore ad contrahendum matrimonium dato *c. 9. h. t. in 6.* Eandem reuocandi licentiam non habet procurator, qui alium con- vel substituit, nisi potestas reuocandi eidem concessa fuerit *c. 3. h. t. in 6.* Quibus modis praeterea potestas procuratoris desinat, repetendum ex iure ciuili.

MEMBRVM VI.
DE TRANSACTIONIBVS.

§. I.

Antequam partes ad litem admittantur, ante omnia iudex sollicitus esse debet, vt

vt partes ad concordiam per amicabilem compositionem deducat *c. 7. D. 90. c. f. X. h. t.* Vnde hodie ante omnia iudex partes citare debet ad amicabilem compositionem, alias reus opponere solet exceptionem *non tentatæ amicabilis compositionis.* Cogere eos ad illam nequit, nisi vbi scandalum publicum ex lite imminet, veluti si ministri ecclesiæ odiosas rixas mouent Mev. *p. 3. Decis. 217. & P. 2. Decis. 26.* Brunnem. *in iur. eccl. lib. III. c. 3. §. 6.*

§. II. Cum vero iura & bona ecclesiastica non subsint libero priuatorum arbitrio, inde quoque transactiones non indistincte sunt permissæ. Prælati enim de illis transigere non aliter possunt, quam cum capituli consensu *c. 3. 5. 8. X. h. t.* quatenus agitur de illis per transactionem alienandis, quemadmodum in terris protestantium eo casu consistorii decretum requiritur cum debita causæ cognitione. Vnde ne quidem Abbates cum conuentu transigere possunt de bonis monasterii, si desit superioris consensus *c. 8. X. h. t.* nisi essent Abbates *infulati*, & *exemti* qui episcopalia exercent.

§. III. Similiter super beneficio ecclesiastico vel officio sacro, in litem deducto, transactio reprobata est, tum ob labem Simoniæ *c. 7. X. h. t.* tum ne vitiosus hoc modo in beneficia detur ingressus, quæ vltima ratio etiam admitti potest apud Protestantes, quia

officia sacra non subsunt priuatorum arbitrio. Alia est ratio iuris patronatus, quod priuati iuris est. De *decimis* non idem receptum de iure canonico per *c. 2. X. h. t.* quod de *ecclesiasticis* accipiendum: *Laicales* enim itidem sunt priuati arbitrii.

§. IV. A transactione differt *pactum simplex remissorium*, quod in causis beneficiorum facilius quam transactio admittitur, quia gratis fit, cum transactio non possit fieri, nisi dato aliquo vel remisso vel retento *c. 6. in f. h. t.* Parem tamen vim habet, cum pacta nuda hoc iure plenam efficaciam obtinuerint *c. 1. & 3. X. de pact. c. 8. C. 20. q. 1. c. 30. C. 18. q. 2.* Vrget quidem Zieglerus *in praelect. ad ius can. c. 1. cit.* in *cit. textu* agi de *transactionibus*: Verum cum, vbi ius ciuile rigorem habet, ius canonicum ab eo recedat, & conscientiae solum rationem habeat, admodum probabile est, hoc ius nunquam pactis nudis efficaciam subtraxisse, quo iure etiam hodie vtimur.

MEMBRVM VII.
DE CITATIONE.

§. I.

INitium iudicii merito hoc iure habenda est *CITATIO* per *c. 20. X. de offic. & pot. iud. del.* quam-

quamuis Pontifex in *c. 19. X. eod.* ius Romanum antiquum secutus, litis contestationem initium iudicii esse voluerit. Sed prior sententia magis principiis fori nostri congruit. Consistit hæc *in legitima a iudice competente ad iudicium facta vocatione litis potissimum peragenda gratia.* Admodum necessaria est, vt omitti non possit, *clem. pastoralis. de sent. & re iud.* nequidem in *notoriis.* Equidem contrarium colligunt ex *c. 8. X. de cohabit. cleric. c. 12. X. de sent. & re iudic. c. 15. de purgat. canon. c. 21. de iurei.* Verum hæc referri debent ad *processum clericalem,* mediante quo eos, quos supprimere voluerunt, inauditos nec citatos condemnarunt, quod a recta ratione, imo a iure canonico antiquo alienum est. *c. 2. C. 2. q. 1.* Imo vbi per mandata S. C. proceditur, adhuc admittitur exceptio subr & obreptionis.

§. II. Citatio est vel *iuris* vel *hominis.* Hæc fit a iudice competente. Illa a lege, quoties certum terminum præfixit, intra quem quis absque vlla alia citatione aliquid peragere debeat *clem. 2. de pan.* quo pertinet octiduum Saxonicum, oblationi ad iurandum destinatum. Simile exemplum occurrit in electione Papæ *c. 6. X. de elect.* & imperatoris per *A. B. c. 1. c. 19.* ibi: *proprio motu etiam non vocati.* Atque hæc sua natura est peremtoria, non item *hominis,* nisi hoc

 ex-

expressum vel a lege constitutum fuerit.

§. III. Citatio *hominis* est vel *generalis* vel *specialis*. *Illa* fit ad totam causam: *haec* vero ad singulos actus. *Illa* obtinet in tribunalibus supremis, ne propter locorum distantias sumtus augeantur *c. 5. in f. X. de restit. spoliat. c. 6. X. de dol. & contum.* qua facta, nulla in posterum ad actus singulos necessaria est specialis citatio. *Haec* obtinet in iudiciis inferioribus, in quibus facilius citationes insinuari possunt.

§. IV. Specialis est tum *priuata* tum *publica*. Illa rursus (1) est vel *solennis* vel *minus solennis*. Haec in causis leuioribus & summariis obtinet, & absque scriptura fieri potest: illa vero in scriptis est expedienda. Delegati non nisi in scriptis citare possunt, adiecta copia suae commissionis *c. 2. de dilat.* (2) vel *verbalis*, vel *realis*, quatenus fit apprehensione personae, ne aufugiat, quae etiam in clericis locum habet, si a consistorio iudex secularis imploratur, vt eos apprehendat *c. 15. de sent. excom. in 6.* Plerumque Consistoria destituta sunt manu militari, per quam fiat apprehensio, quod etiam de academiis dicendum est. *Publica* fit per citationem publicis locis affixam, foris ecclesiarum scilicet, si causa fit consistorialis *c. 5. X. de dol. & contum.* vel pro cathetra sacra *clem. vn. de for. compet.* quae in quibusdam ecclesiis etiam

in

in *processu desertionis* obtinet, minus tamen commode. Rectius de iure Saxon. edictalis citatio in trium dominorum territoriis decernitur Carpz. *lib.* 3. *decis.* 62. vid. Dn. Stryk. *de diff. sponsal. sect. VI.* §. 40.

§. V. Decerni debet citatio a *iudice ordinario* vel *delegato* & quidem (1) *intra limites iurisdictionis*, quod etiam in delegatis obtinet, quamuis quoad hos expresso partium consensu prorogatio ad alium locum fieri possit *c.* 11. *de rescript. in* 6. §. *in nullo.* (2) *ad partium instantiam*, hinc præmitti solet *supplicatio pro decernenda citatione.* Vbi tamen iudex ex officio procedere potest, instantia partium non est necessaria. Huc etiam Mev. *p.* 6. *decis.* 6. refert caussas matrimoniales, quando de matrimonio consummando res est, quod tamen dubium. (3) *Sit præterea iudex competens*: Si notorie incompetens, citatus ne quidem comparere tenetur *clem. pastoralis de sent. & re iudic.* (4) *legitimo modo concipiatur*, vbi imprimis necesse est, vt caussa, de qualis mota est, exprimatur, quo reo integra sit deliberatio; quo casu ne quidem olim induciæ deliberatoriæ amplius dabantur *c.* 2. *X. de dilat.* hodie vero eo minus, quo libellus statim citationi adiungi solet. Locus quoque adiiciendus, si citatio a iudice delegato fiat.

§. VI. Vires imprimis citatio accipit ex

ex legitima insinuatione, facienda (a) per nuncium iuratum, & quidem (b) vel *in faciem* si præsens est citandus, vel si absens, *ad domicilium habitationis c. 3. X. de dol. & contum.* cuius insinuationis documentum (c) actis inferendum est.

§. VII. Hoc modo insinuata citatio operatur obligationem ad comparendum, alioquin contumax in expensas condemnatur *c. 6. X. in f. de dol. & contum.* Præterea perpetuat iurisdictionem tum ordinariam *c. 19. X. de for. compet.* tum delegatam *c. 20. X. de offic. & pot. iud. deleg.* operatur præventionem & litispendentiam, impedit mutationem libelli &c.

Membrum IIX.

DE LIBELLI OBLATIONE.

§. I.

LIBELLUS stricte denotat *scripturam, qua actor tum ipsum factum, tum causam agendi, apta adiecta conclusione, secundum naturam actionis demonstrat.* Et hic in processu *ordinario* statim ab initio offerendus, & adversario edendus: alioquin obstat *exceptio non communicati libelli c. 1. X. h. t.* In *summariis*, qualiscunque actoris propositio sufficit, & hoc

hoc intuitu in *clem. sæpe de V. S.* libellus in his non exigitur.

§. II. Ita concipiendus est libellus, vt de genere actionis intentatæ inde constare queat, quamuis nimiæ subtilitates haud attendendæ sint. *c.* 6. *X. de iudic.* Interim (1) in actione reali res specifice designanda & suis limitibus circumscribenda, *c. 2. X. h. t.* si est iudicium *singulare*; secus, si *vniuersale*. (2) *fundamentum* actionis *specificum* & proximum exprimendum, quod in actione personali est *ipsa specialis causa debendi c. 3. X. h. t.* in reali vero illa iuris in re species, ex qua agitur, quamvis hic quoque titulum exprimere vtile sit. (3) Conclusio actioni congrua addenda, alioquin si inepta sit petitio, reus absoluitur ab instantia, vt tamen actori adhuc permissum sit, conuenientiorem actionem mouere *c. 15. X. de iudic.* refusis tamen actori impensis.

§. III. Olim *articulatim* proponebatur in causis ordinariis, unde noua seges litium, quæ ansam dedit generatim articulatos libellos abrogandi, seruato eorum vsu in accusationibus. Vnde nec in consistorio libellus articulatus admittitur B. Dn. Brunneman. *in iur. eccles. lib. III. c. 2. §. 2.* Clausulæ quoque variæ iis adiungi solent, quæ pleræque otiosæ, quamuis clausulam salutarem mirifice commendare soleant, quæ sane est

an-

antiquissima, vti apparet ex *c. 2. X. de ordin. cognit.*

MEMBRUM IX.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

§. I.

Libellus est duplex vel *conuentionalis* vel *reconuentionalis*. Reus enim ab actore conventus actorem coram eodem iudice reconuenire potest, ex ratione ciuili, quæ repetitur in *c. 1. C. 3. qu. 8.* Siue connexa sit causa, siue non connexa, adeo vt clericus laicum in foro suo conueniens, ibidem reconueniri possit. Proinde requisita ordinaria libelli hic quoque obseruanda.

§. II. Locum habet reconuentio, siue coram iudice *ordinario* siue coram *delegato* agatur *c. 1. X. h. t.* adeo vt commissarius eundem procedendi modum in reconuentione obseruare debeat, qui ipsi præscriptus est quoad reconuentionem *c. 2. X. h. t.* modo ad instantiam partis datus fuerit commissarius Gonzalez. *ad c. 1. h. t. n. 10.* Coram arbitris autem reconuentio locum minime habet, *c. 6. X. de arbitr.* quemadmodum reconuentio quoque coram eo iudice fieri nequit, qui speciem illam iurisdictionis non

non habet, ad quam causa spectat *c. f. X. de iudic.*

§. III. Admittitur reconuentio in omnibus causis etiam summariis, *clem. sæpe. d. V. S.* imo & in appellatione extraiudiciali, quæ primæ instantiæ beneficium non adimit, sicut *iudicialis*, ob quam causam in hac admitti nequit. Locum vero alias non habet (1) in causis celerrimæ expeditionis, vt in causa spolii, nisi rursus de spolio reconuentio instituatur *c. f. X. de ordin. cognit.* (2) criminalibus *c. 1. C. 3. q. 11.* Neque enim relatione criminum sed innocentia se reus purgare debet.

§. IV. Habet reconuentio non tantum effectum *prorogationis*, sed etiam *simultanei processus*, vt ordine succesſiuo vtraque causa simul agatur. *c. 1. X. h. t.* modo in ipso litis exordio h. e. ante litis contestationem proponatur; si post illam proponitur, admittitur quidem quoad effectum prorogationis, & eum in finem cautio præstanda est, sed simultaneus processus cessat *c. 3. de rescript. in 6. clem. sæpe de V. S. verſ. verum.* & separatim de illa agitur. *c. 2. X. de ordine cognit.* Porro hæc reconuentio adeo fundata est, vt in eius præiudicium actor conuentioni amplius renunciare non possit.

MEM-

MEMBRVM X.

DE LITIS CONTESTATIONE.

§. I.

PRoximum eſt, vt actione propoſita, reus ad cauſam reſpondeat, ſi exceptiones dilatorias nullas vel non fundatas habeat, nec peremtorias litis ingreſſum impedientes, de quibus ſuo loco. Inde *LITIS CONTESTATIO* neceſſaria, quæ conſiſtit in reſponſione idonea rei ad cauſam principalem facta *animo litem conteſtandi*, atque adeo neceſſaria eſt, vt ſine illa ad vlteriora progreſſus fieri, & ſententia ferri nequeat, niſi hæc facta fuerit. *c. 1. ſeqq. vt lite non conteſt.* In *ſummariis* cauſis quidem hæc non exigitur *in clem. ſæpe de V. S.* quod tamen tantum ad *ſolennem* reſtringendum, vt in illis ſufficiat qualiscunque contradictio. In *notoriis* plane illam excludunt, ſed abſque fundamento. Aliud dicendum, ſi in cauſa principali quædam quæſtio *incidenter* tractatur *c. f. X. de offic. iud.*

§. II. Dixi reſponſionem fieri debere, *animo litem conteſtandi*. Nam nulla inducitur L. C. (r) ſi ſimpliciter opponitur exceptio peremtoria litis ingreſſum impediens *c. 2. de L. C. in 6.* vbi ſæpe factum proponi debet *pro*

nuda.

nuda informatione iudicis. (2) Si ſimpliciter offerantur poſitiones cum iuramento dandorum *c. vn. X. h. t.* quæ magis inuentæ ſunt ad litis conteſtationem generalem declarandam.

§. III. Poteſt L. C. de iure canonico fieri *generaliter*; ſpecifica non præciſe requiritur, bene tamen iuxta receſſum imperii noviſſimum. Vnde inuentæ ſunt *poſitiones*, iure canonico approbatæ in *clem. ſæpe de V. S.*, quæ viam parant ad probationem, vt ſcilicet inde conſtare poſſit, quid ab actore probandum ſit. Potisſimum eorum vſus ibi neceſſarius eſt, vbi ſpecialis litis conteſtatio non præciſe facienda eſt. Et ita iuramentis vtrinque præſtitis, adhuc ſalva eſt probatio ſuper poſitionibus, a reo negatis, niſi ipſa via probandi per poſitiones ſuſcepta fuerit, quod alicubi receptum eſt.

§. IV. Tempus litem conteſtandi in iure canonico non eſt definitum, adeoque *euentualis* litis conteſtatio, in primo termino facienda, hic non requiritur, quod tamen in *R. I. nouiſſ.* correctum. Nec refert, vtrum per ipſum principalem, an procuratorem fiat, quamuis in matrimonialibus in foris proteſtantium litis conteſtatio per procuratorem non admittatur. Idem dicendum de criminalibus criminaliter intentatis.

§. V. Ceterum quod friuolæ litis conteſtationes negatiuæ in iure canonico non

D puni-

puniantur, non adeo mirandum est, postquam *generalis* eo iure admittitur, sub qua omnis friuola negatio occultatur. Ast vbi *specialis* hodie requiritur, pœnæ mendaciorum non essent negligendæ. Vid. Dn. Berger *in elect. proc. Saxon. tit.* 16. *obs.* 2.

MEMBRVM XI.
DE IVRAMENTO CALVMNIÆ.

§. I.

Ad illa, quæ in ingressu litis facienda sunt, pertinet etiam *IVRAMENTVM CALVMNIÆ* generale, a Iustiniano introductum, & iure canonico approbatum. Intentio Iustiniani fuit, iuramenta *malitiæ*, quæ in vna causa multiplicabantur, tollendi, & loco eius *generale*, ad totam causam præstandum, exigendi *Nov.* 49. *c.* 3. §. 1. *auth. Hoc sacramentum C. de iurei. propt. calum.* Sed ius canonicum in alia omnia iuit, sanciendo, post generale præstitum adhuc speciale exigi posse *c.* 2. §. *f. h. t. in* 6. vnde praxis hodierna extra Saxoniam orta est.

§. II. Non tamen hoc iuramentum est de substantia iudicii, neque enim præstandum est, nisi exigatur a parte vel a iudice ex officio *c.* 1. *h. t. in* 6. Est enim iuramentum le-

legale, & sic a iudice *ex iusta causa* quoque remitti potest.

§. III. Praestant hoc litigantes in *exordio litis* *c.* 1. *h. t. in* 6. & sic ante litem contestatam, tam in prima, quam in secunda instantia, quamuis in prima iam iuratum sit *c.* 2. *h. t. in* 6. tam ipsimet principales, quam eorum procuratores & aduocati *c.* 6. *X. h. t. c.* 2. *h. t. in* 6. Possunt etiam principales hoc iure iuramentum calumniae praestare per procuratorem, speciali mandato instructum *c.* 4. *X. h. t. c.* 3. *h. t. in* 6. quod a ratione iuramenti alienum est.

§. IV. Liberantur tamen a praestatione huius iuramenti (I) clerici caussas ecclesiae suae agentes *c.* 1. *X. h. t.* Aliud est, si caussas proprias agant *c.* 5. *X. h. t.* (II) aduocati fisci, quod tamen nullo iure fundatum est, (III) consiliarii principum, qui caussas eorum agunt per *R. I. de anno* 1654. §. 43.

§. V. Olim excipiebantur causae spirituales, in quibus exigi non poterat *c.* 2. *X. h. t.* quod correctum est, in *c.* 1. *in f. h. t. in* 6. nam & in summariis exigi potest *clem. saepe de V. S.* adeo vt si illud recusetur, actor causa cadat, reus vero pro confesso habeatur *c. f. in f. X. h. t.* quod in caussis ecclesiasticis limitatur, vt tendat in rei praeiudicium, actori vero nullum ius inde acquiratur.

MEMBRVM XII.
DE DILATIONE ET FERIIS.

§. I.

DILATIONES sunt *tempora, ad actum quendam iudicialem peragendum destinata*; nam dantur etiam *extraiudiciales*, quæ huc non spectant. Aliquando tantum spatium temporis complectuntur, intra quod aliquid peragendum est, quoties ab vno litigantium tantum quid peragendum; quandoq; certus præstituitur terminus, si vtriusque litigantis præsentia necessaria est.

§. II. A fine olim distinguebantur in *citatorias* & *deliberatorias*: posteriores tunc necessariæ erant, si per citationem de causa ipsa reus non satis informatus erat; alióquin hæ non vlterius indulgendæ *c. 2. h. t.* quod hodie generaliter obseruatur, postquam citationi libellus includitur. Huc etiam pertinent *probatoriæ*, quæ *sua natura* sunt peremtoriæ, & consequenter illis lapsis, melior probatio amplius iniungi nequit.

§. III. Porro dilationes sunt vel *iudiciales* vel *legales*. Hæ a lege sunt determinatæ, possunt tamen arctari & prorogari a iudice, iusta ex causa *c. 15. X. de sentent. & re iudic.*

iudic. c. 57. de appellat. c. 24. in f. X. de offic. & pot. iud. deleg. & hoc intuitu etiam *arbitrariæ* dicuntur; nisi forsan *præcise* præscriptæ fuerint. Illæ a iudice determinantur, vbi a lege haud reperiuntur determinatæ, & quidem secundum locorum distantiam, personarum & negotii qualitatem. *c. 5. X. de appellat.*

§. IV. Officium iudicis est in concedendis dilationibus (1) ne nimis breues aut longas concedat, alioquin appellationi locus est *c. 4. X. h. t.* (2) ne vltra tertiam concedat absque solennitate legali *c. pen. X. de testibus,* quamuis secundum *R. I. nouiss.* §. *50.* tertia non sit concedenda absque iuramento, nisi de impedimento iusto aliunde satis constet. (3) ne absque causæ cognitione eas indulgeat, nisi pars altera sponte in eam consenserit.

§. V. Differtur quoque iudicium *ipso iure* per *FERIAS*, quæ sunt *dies ab actibus iudicialibus vacui*, adeo vt si terminus comparitionis in eas incidat, iustam inde quis habeat exceptionem feriarum. Est vero differentia feriarum *diuinarum* & *humanarum*, quod in illis, etiam partibus consentientibus, nullus actus iurisdictionis contentiosæ celebrari possit; nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat; bene tamen in his, si id ipsum partium voluntate fiat *c. f. X. de feriis,* vel si

 pe-

personæ citatæ tempore harum feriarum haud sint occupatæ *c. f. X. de iudic.* Hæc obseruatio hodie maxime ibi locum habet, vbi iudicia eo tempore haud sunt clausa, quod contingit in iurisdictione Academica.

§. VI. Ceterum ipsas ferias diuinas, ne quidem excepto die dominico, non iudaico more esse obseruandas, vt præcise ab omni opere abstineatur, patres antiqui censuerunt, vti constat ex *c. 12. de consecrat. D.* 3. & *c.* 11. *C. 26. qu. 5.* Conf. *Concil. Laod. c. 29. Concil. Aurel. III. c. 21. & 29.* Vnde etiam actus, qui sunt *voluntariæ iurisdictionis*, in iis fieri possunt, & alia negotia, quæ aliis diebus ita commode expediri nequeunt *c. 3. X. de feriis.* Admittunt etiam illa, quæ quandam rationem pietatis habent, quo pertinent cognitiones de alimentis, de caussis spiritualibus, amicabiles compositiones, vel quæ moram non ferunt, vt impositiones arresti, captura facinorosorum eorumque persecutio. &c.

§. VII. Computantur tamen adhuc feriæ diuinæ more iudaico a vespera ad vesperam *c. 1. X. de feriis Leuit. XXIII. 32.* quod intelligendum quoad diuina officia & horas canonicas *c. 5. D. 75.* ceteri dies a media nocte ad mediam noctem, *c. 24. de offic. & potest. iudic. deleg.* etiam in materiis canonicis.

cis. Vſum hæc obſeruatio præbet in diebus criticis, quales plures in his materiis occurrunt, vtpote ſi quæritur, vtrum quis in menſe capitulari, an papali mortuus fuerit? ſi de anno deſeruito quæſtio incidit &c. Materiæ tamen ſubſtratæ quoque ratio habenda eſt, vnde ſæpe intelligitur, diem nocti opponi, veluti qui ad certum diem citatus eſt, nocte comparere non debet *c. 24. X. de offic. & pot. iud. deleg.*

MEMBRVM XIII.
DE ORDINE COGNITIONVM.

§. I.

NOn raro contingit, vt lite mota, plures quæſtiones & cauſæ diuerſæ incidant, quæ, quo ordine in cognitionē deduci debeant, ante omnia videndum. Et quidem (1) ſi cauſæ *principalis* & *præiudicialis* concurrunt in eodem proceſſu, de illa prius cognoſcendum, quum ab eius deciſione reliqua dependeant. *c. 1. X. h. t.* Sic a quæſtione natalium dependet ſucceſſionis cauſa, adeoque hæc prius terminanda in foro eccleſiaſtico *c. 3. X. h. t.* quatenus ſcilicet ex matrimonii validitate dependet. Si vero aliunde, etiam in foro ſeculari peragi poteſt. Porro ſi actoribus opponitur exce-

ptio excommunicationis, de hac prius cognoſcendum *c. 19. X. de iudic.* Si dubitatur, an delinquens ſit clericus an laicus, quæſtio ſtatus prius diſcutienda eſt in iudicio eccleſiaſtico *c. 12. de ſent. excommun. in 6.* Limitatur tamen hæc ſententia, niſi cauſa ſpolii vel momentaneæ poſſeſſionis concurrat, quæ prius terminanda in foro ſeculari, licet cauſa præiudicialis ad eccleſiaſticum forum pertineat *c. 7. X. qui fil. ſint legit.*

§. II. Porro (II) ſi duæ cauſæ diuerſæ, ſeſe inuicem non contingentes, concurrant, ſi quidem ſint *ciuiles*, diſtinguendum, vtrum per modum *actionis* vtraque proponatur, an altera per modum *actionis*, altera in vim *exceptionis*. Priori caſu vel *ſeparatim* vtraque propoſita, & ſeparatim de vtraque cognoſcitur, diuerſo proceſſu, vt tamen reconuentio ſuper ſpolio facta ſiſtat conuentionem: *c. f. X. h. t.* vel per modum *reconuentionis*, & tunc viciſſim ſunt tractandæ, & ſimul eadem ſententia terminandæ. Poſteriori vero de *exceptione* prius cognoſcendum eſt, ſi cognitionem cauſa principalis remoratur, qualis eſt exceptio *ſpolii c. 2. X. h. t.* vel ſi exceptio criminis & inhabilitatis obiicitur. Hoc caſu intendit reus tantum, vt actor ab agendo repellatur, ergo, probato crimine & ſpolio, nec fit executio in ſpolio, nec pœna decernitur

nitur; quod secus est, si per modum *actionis* spolii causa ventilatur.

§. III. In causis *criminalibus* itidem distinguitur, vtrum vtraque causa sit criminalis, an vero altera ciuilis, altera criminalis. Priori casu maior minori praeponitur *l. 54. de iudic.* quae regula etiam posteriori casu obtinet, quatenus causa criminalis vt maior praeponi debet *l. 33. C. ad L. Iul. de adult.* nisi decisio criminalis ex ciuili dependeat *l. 1. C. de appellat.* vel actione spolii agatur, cui criminalis accusatio, a reo mota, moram iniicere haud potest. *c. 6. X. de restit. spoliat.*

§. IV. Haec de ordine cognitionum: sed de *foro* quoque quaedam quandoque incidit difficultas, si causa principaliter proposita, in eodem iudicio alia incidat, quae ad alius fori decisionem spectat. Hoc casu distinguitur, vtrum in causa seculari incidenter emerserit ecclesiastica, tunc iudex secularis de illa cognoscere nequit, sed iudex ecclesiasticus prius eam decidere *c. 5. & 7. X. qui fil. sint legit.* & huius decisionem sequi debet iudex secularis quoad causam principalem *c. 2. de except. in 6.* Si vero causae ecclesiasticae incidat ciuilis, iudex ecclesiasticus de vtraque causa cognoscere potest *c. 2. X. de coniug. seru. c. 1. X. qui fil. sint. legit. c. 3. X. de Donat. int. vir. & vxor.* quod priori casu

 iudex

iudex secularis ratione causæ ecclesiasticæ sit plane *incapax*; posteriori vero iudex ecclesiasticus tantum *incompetens*, qui tamen fieri potest competens ratione connexitatis. Gonzalez Tellez *ad c. 3. X. h. t. n. 14.* Dn. Stryke *de causa incidente, c.* 11. Sed hæc ratio diuersitatis inter protestantes non debebat admitti, cum nullam inhabilitatem iudicis secularis quoad causas ecclesiasticas agnoscamus, sed tantum *incompetentiam*.

MEMBRVM XIV.
DE CONTVMACIA.

§. I.

CONTVMACIA quoque in processu emergere potest, quæ duobus potissimum modis contingit: (1) si legitime citatus, nec impeditus, haud compareat, (2) si citatus quidem se sistit, sed haud facit, quod facere debebat, veluti litem non contestatur, aut non debito modo &c. Hic adhuc ad appellationem admittitur, non ille.

§. II. Contingit hæc vel a parte *actoris* vel *rei*. Si illud, & quidem *ante litem contestatam*, venienti ad terminum reo in expensas condemnatur, reus ab instantia absoluitur, nec actor aliter admittitur, nisi sufficienter

ca-

cauerit de lite prosequenda *c. 1. b. t. in 6.* Si vero *lis contestata* est, eo casu, actore contumace, testes recipi & ad proferendam sententiam definitiuam procedi potest. *c. 3. X. h. t.*

§. III. Si *reus* absens est ante L. C., in expensas condemnatur, & trina facta citatione, immittitur actor in bona eius *c. 1. X. h. t. t. t. X. de qui mittit. in poss. causa rei serv.* vel si bona sint ecclesiastica, hæc sequestrantur. *c. 2. X. h. t.* Verum hic modus puniendi contumaciam rei per immissionem sublatus est per *R. I. de anno 1654. §. 36.* Porro potest reus excommunicari *c. 1. vt lit. non contest.* si aliis remediis locus esse nequeat, *Concil. Trid. Sess. 25. de reform. c. 3.* vnde sine dubio olim in camera bannum contumaciæ originem traxit, per *R. I. cit. l.* sublatum. Planior ratio est, puniendi contumaciam rei, si sub pœna confessi & conuicti citatus, pro confesso & conuicto habeatur.

§. IV. Si post L. C. contumax est, tunc aut actori probatio incumbit, aut reo. Priori casu iudex super probatione ab actore facta pronunciat, si vel maxime reus sibi reseruauerit reprobationem; posteriori vero contra reum pronunciat, quia ius actoris ex confessione rei liquidum est.

MEMB.

MEMBRVM XV.
VT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR.

§. I.

HÆc regula per totum processum vsum præstat, adeoque, antequam ad alias processus partes progrediamur, eius vsus & sensus docendus. *LITIS PENDENTIA* inducitur per citationem reo legitime insinuatam, vt citatus de causa ipsa satis per eam instrui possit *clem. 2. h. t.* & durat vsque ad rem iudicatam *c. 28. §. præterea X. de offic. & pot. iudic. deleg.* Citatio, quæ fit ad instantiam rei in materia prouocationis ex *l. diffamari* vel *l. si contendat*, huc non pertinet. Huius effectus est, quod omnia in eo statu durare debeant, in quo fuere lite mota; nihilq; innouari possit.

§. II. Inde (I) lis decidenda secundum iura, quæ fuere tempore motæ litis, non secundum priuilegium lite pendente impetratum *c. f. X. h. t.* (II) rei litigiosæ alienatio prohibita est *c. 3. & 4. X. h. t.* (III) Coniugum alteruter accusatus, ante probatum impedimentum, iure, quod habet in alterum, priuari non potest *c. 2. X. h. t.* nisi in continenti probari queat *c. 13. X. de restit. spol.* Vnde vt maritus interim quoque vxorem, de adulterio accusatam, alere, imo ei sum-

ſumtus litis ſuppeditare debet. Et in genere poſſeſſione ſua nemo eſt priuandus.

§. III. Ante omnia requiritur, *vt de ſtatu cauſa vel rei ſatis conſtet.* Sic in poſſeſſorio ſummariisſimo, vbi vterque litigantium ſe posſidere contendit, ille, pro quo pronunciatur, præfertur in poſſesſione, licet alter remedium ſuspenſiuum interpoſuerit. Licet enim ita adhuc lis ſuper poſſesſione pendeat, hic tamen interim actus poſſeſſorios exercere nequit, præſertim cum talis ſententia *vim ſuſpenſiuam* non habeat, ſed tantum *deuolutiuam.*

§. IV. Quod ergo innouatum, ſtatim reuocandum, non tamen ſemper *abſolute* inualidum eſt, ſi cauſa in principalem litem deducta per ſententiam annulletur. Vbi enim, lite ſuper matrimonio pendente, reus aliam ducit, ſi illud nullum declaratur, poſterius ſubſiſtit *c. 18. de ſponſal. c. 1. X. de eo qui dux. in vxor. quam poll. per adult.*

§. V. Iuſta tamen de cauſa, lite pendente, innouatio fieri poteſt, quorſum inprimis pertinet *ſequeſtrum*, quod a iudice decerni poteſt, quoties periculum vel *disſipationis* imminet, vt in fructibus *c. 2. h. t.* vel *armorum* vel *damni irreparabilis.* Hoc intuitu etiam ſequeſtrum puellarum & feminarum recte fieri poteſt, veluti ſi patris ſæuitia

me-

metuenda sit erga liberos *l. 3. in f. de lib. exhib.*, si de violentia, filiæ a parentibus inferenda in matrimonio, suspicio adsit *c. 14. X. de sponsal.* si duo proci de puella litigent *c. 10. in f. de sentent. & re iud. c. 2. & 4. X. de spons. duor.* si vxor, quæ a marito diuertit, opponat exceptionem sæuitiarum *c. 13. X. de restit. spol.* &c. Conf. Dn. Cocceius *de Sequestro feminarum.*

MEMBRUM XVI.
DE PROBATIONIBVS.

§. I.

Lite contestata causa omnis ad *PROBATIONEM* deuoluitur, quæ *est actus iudicialis, quo iudici de causa dubia in litem deducta ex idoneis argumentis fit fides.* Estque duplex, vel *solennis*, quæ fit solenni a iure præscripto modo, vel *minus solennis*, quæ vocari solet *Demonstratio*, & consistit in quali quali & quomodocunque facta fide. Illa in processu ordinario, hæc in summario obtinet, quippe in quo *necessariæ probationes* non negligendæ *clem: sæpe de V. S.* quin etiam hæc in antiquis sufficere videtur *c. 13. X. h. t.*

§. II. Probandum est *factum dubium*, ex quo litis decisio dependet. Quæ præsumtionem iuris pro se habent, haud sunt proban-

banda, quia hactenus pro veris habentur, & sic onus probandi deuoluunt in aduersarium *c. vlt. de restit. spol. in 6.* Similiter *Notoria* non esse probanda colligunt ex *c. 3. X. de testibus cog. c. 3. X. de eo qui cognov. c. 9. X. de accus. c. 15. seqq. C. 2. q. 1. c. 23. X. de elect. c. 21. X. de iurei.* Sed constat, multa dici notoria, quæ non sunt, adeoque prouidendum est, ne quod dubium est, pro notorio habeatur, monente Alexandro III. in *c. 14. X. de appellat.* Quodsi ergo negetur notorium, probandam esse volunt *notorietatem* non *veritatem* & quidem per decem testes. Sed cum notorium allegetur propter rei veritatem & certitudinem, & quæstio de hac, non de notorio, vertatur, potius in dubio veritas rei probanda. Quin quod factum esse possit notorium, vt tamen circumstantiæ lateant. Conf. Dn. I. S. Stryk. *de Notorio c. II.*

§. III. Porro factum, quod probandum est, consistit vel in *affirmatiua* vel *negatiua* propositione. Illam, non hanc probandam esse asserunt per *c. 11. X. h. t. c. 23. X. de elect.* quod negatiua directo probari non possit, bene tamen per indirectum *c. 35. X. de testib.* vel sit *negatiua iuris*, vel circumscripta loco & tempore *cit. c. 35. c. 26. de testib.* vel sit *negatiua qualitatis c. fin. de præsumt. c. vlt. X. de*

scrip-

scrutin. in ordin. fac. Hisce casibus etiam negatiuam probandam esse volunt.

§. IV. Verum hæc doctrina non satis cohæret. Admitto sententiam, negatiuam non esse probandam, quatenus in simplici litis contestatione negatiua consistit, quia sic affirmanti, non neganti incumbit probatio. Sed quoties fundamentum actionis, quod ab actore proponitur, in *negatiua* consistit, illud æque probandum est ab actore, si dubium sit, nullamque præsumtionem iuris pro se habeat, ac si in affirmatiua consistat, cum etiam negatiua directo probari possit, docente Dn. Cocceio *Diss. de directa probat. negatiuæ.* Et reuera huc collimant limitationes adductæ. Sic *negatiua qualitatis* vel ideo probanda, quia in ea actor se fundat, & reus pro se præsumtionem habet. Porro *negatiua iuris* itidem probanda, quia actor in ea se fundat & dubia est. Denique *negatiuam facti* duplicem esse aiunt, vel *facti indefiniti* vel *definiti*; Hanc, quatenus circumstantiis munita est, probari posse, non illam, quatenus absque omnibus circumstantiis proponitur. Verum hoc inde est, quod *indefinita*, non quod *negatiua* sit, quia pari ratione etiam *affirmatiua indefinita* probari nequit.

§. V. Illi regulariter probatio iniungenda, qui, quod dubium est, in iudicio proponit, vnde

vnde tamen decisio causæ dependet, siue actor siue reus fuerit: *c. 8. X. h. t.* aliquando vtrique onus probandi iniungi potest, scilicet in *iudiciis duplicibus*, quoties vterque se in facto dubio fundat, & vterque actoris vices sustinere videtur *c. 3. X. h. t.*

§. VI. Modus probandi varius est. Regulariter est vel *artificialis* vel *inartificialis*. Hic expeditur per testes, instrumenta, confessionem, inspectionem ocularem (quæ etiam in probanda virginitate adhibetur *c. 4. X. h. t.*) imo iuramentum &c. Ille vero desumitur ex facti circumstantiis, quæ suppeditant argumenta probabilia, *præsumtionem* quandam inducentia, *c. 2. c. 12. & 53. X. de præsumt.* Hic modus tamen plerumque tantum semiplene probat, ille plene.

§. VII. Vnde liquidum est, probationem habere suos gradus, quia fides iuridica quoque gradus admittit. Pro qualitate itaque causæ nunc grauior probatio requiritur, vt in criminalibus, & matrimonialibus: *c. 24. X. de testib.* nunc leuior sufficit, vt in causa alia ciuili *c. 12. X. de præsumt.* imprimis *occulta* & *antiqua c. 13. X. h. t.* vbi imperfectæ probationes etiam admittuntur.

§. VIII. Terminus, intra quem probatio peragenda, nec iure ciuili, nec canonico determinatus, sed a iudice pro arbitrio præfigendus, secundum qualitatem causæ &

personarum, & distantiam locorum *c.* 4. *C.* 3. *q.* 3. nisi actor, non exspectata sententia iudicis, probationem sponte susceperit, quo casu probario eius nullo termino peremtorio coarctatur. Pluribus tamen in foris certus terminus est præfixus, qui tunc præcise obseruandus, & currere incipit ab eo tempore, quo sententia, super probatione lata, in rem iudicatam transierit. Si intra terminum probatorium probatio haud facta, h. e. instrumenta, vel articuli, ad quos testes sunt examinandi, haud oblati, probaturus iure suo cadit, quo rigore tamen in caussis ecclesiasticis non est vtendum. Brunnemann *in iur. eccles. lib. III. c.* 4. §. 12.

§. IX. Facta probatione de viribus eius arbitratur iudex, & pro plene probante pronunciat, sine vlla iuramenti impositione. *c.* 2. *X. h. t.* Si vterque probauit, quod forsan reus reprobationem susceperit, tunc, si æqualis vtriusque probatio est, non ad testium multitudinem respiciendum, sed ad *eorum qualitatem,* & *deposita c.* 32. *X. de testibus c.* 9. *X. h. t. c.* 57. *X. de elect.* Scilicet in *depositione* videndum, quænam sint verosimiliores; in *qualitate*, quinam testes fide digniores sint? *c.* 45. *de R. I. in* 6. *c.* 9. *X. h. t.* Quodsi probatio vtrinque æqualis est, contra eum respondendum, qui probare debuit, & ita vt plurimum reus absoluendus, nisi cau-

sa

sa actoris sit fauorabilis, qualis est piæ causæ, ecclesiæ, dotis &c. *c. 3. X. h. t.*

MEMBRUM XVII.
DE TESTIBVS.

§. I.

Communiter probatio fit per *testes* & *documenta*. In *testibus* respiciendum imprimis ad qualitatem, an fidem facere possint, h. e. an possint veritatem dicere, & vtrum præsumantur veritatem dicturi. Inde quidam *in totum* inhabiles sunt, & proinde statim reiiciendi, quidam vero *secundum quid*, qui admittuntur, salua tamen exceptione.

§. II. Ius Canonicum fere eosdem repellit a testimonio, quos ius ciuile, quosdam adhuc addit. Quosdam repellit in totum (1) propter *vitæ turpitudinem* & malos mores, quorsum referunt hæreticos, *c. 1. X. de hæret.* (contra orthodoxum scilicet,) item excommunicatos *c. 8. de sent. excommun. in 6. c. 5. eod. in 6.* corruptos *c. 9. X. h. t.* periuros *c. 18. C. 6. q. 1.* infames *c. 39. C. 2. q. 7. c. 1. X. de except.* quo intuitu audiendus, qui crimen testi obiicit, quod probandum in se suscipit *c. 1. cit.* siue causa sit ciuilis siue criminalis *c. 54. X. h. t.* Excipiunt tamen (1) crimina atrociora *c. 31. & 32. X. de Simon. c. 14. X. de præsumt. c. 1.*

X. de confess. (2) si testis crimen commisit, quod non infamat, & vitam emendauit, admittitur in causa ciuili, non criminali *c. 54. X. h. t.* nam canones quodcunque *peccatum mortale* crimen vocant. In hoc apparet differentia iuris ciuilis & canonici. Illo enim testis tantum repellitur, qui ob crimen condemnatus est; hoc vero etiam, si per modum exceptionis obiicitur, & adhuc probandum est *c.* 13. *X. h. t.* Gonzalez *ad c. 54. X. h. t. n.* 12. Imo de iure ciuili non omnes damnati repelluntur, sed iure canonico omnes criminosi inhabiles sunt. Idem *ibid.*

§. III. Quidam (II) repelluntur ob certam *qualitatem* personæ cohærentem, ob quam suspecta est, quales sunt [I] testes de familia producentis, nisi essent probatæ vitæ & opinionis *c.* 24. *X. h. t.* Hoc intuitu parentum quoque testimonium reprobatur, nisi (α) agatur de probanda consanguinitate *c. 5. X. h. t. c. 3. X. qui matrim. accus.* vel (β) liberorum ætate *l. 16. ff. de probat.* (γ) si contra liberos deponant. Huc [II] referuntur *laici,* qui contra clericum, & vice versa, testari nequeunt in causa criminali *c.* 14. *X. h. t.* [III] *Iudæi* contra christianum *c. 26. c. 2. q. 7.* bene tamen vice versa *c. 21. X. h. t.* [IV] *procuratores* & executores causarum *c. 6. X. h. t. c. vlt. pr. h. t. in 6.* [V] *confessionarius* de eis, quæ ei

sunt

ſunt reuelata in confeſſione auriculari *c. 2. X. de offic. iud. ordin. c.* 12. *X. de pœnit.* [VI] *Socii criminis c.* 10. *&* 20. *X. h. t.* Reliqua ex iure ciuili ſupplenda, & proinde nec feminæ a teſtimonio dicendo excluduntur *c.* 3. *&* 33. *X. h. t. c.* 5. *X. de adult.* licet iure antiquo canonico eæ haud admiſſæ fuerint *c.* 10. §. *vlt. de Verb. ſign. c.* 1. *C.* 15. *q.* 3.

§. IV. Teſtes ad teſtimonium dicendum euocati teſtimonium dicere debent, & ad hoc cogi poſſunt *c. I. X. de teſtib. cog.* ſi vel maxime iurauerint, quod in hac cauſa teſtimonium dicere nollent *c.* 18. *X. h. t.* etiam in cauſa criminali, vid. Gonzal. ad *c. f. X. de teſtib. cog. n.* 8. Inde quoque puniuntur, qui teſtes impediunt, ne deponant *c.* 37. *&* 46. *h. t.* Modus cogendi eſt arbitrarius, in iure non determinatus; quin etiam quandoque per torturam cogi poſſunt *c.* 7. *C.* 2. *q.* 1. Clerici cenſuris eccleſiaſticis coërcentur. Pœna confeſſi & conuicti huc non pertinet, niſi cauſa, in qua dicere teſtimonium debent, quodammodo ad eos ſpectet.

§. V. Cogi tamen non poſſunt (1) qui in ea cauſa antea fuere iudices *c.* 38. *C.* 2. *q.* 6. vel (2) aduocati (3) confeſſionarii *c.* 12. *de pœnit.* qui nec volentes admittuntur Carpz. *lib. III. Iurisprud. eccl. def.* 25. & qui alias de iure ciuili cogi nequeunt *c. vlt. C.* 4. *q.* 2.

§. VI. Ipsa productio testium facienda legitime, vbi ante omnia factum probandum certis articulis includendum, *c.42. X.b. t.* qui intra terminum probatorium iudici offerantur, hoc fine, vt testes aduersariumque citet. Citantur vero testes (I) sumtibus producentis, qui illis expensas itineris suppeditare debet *c.11. in f. de rescript. in 6.* (II) a iudice competente & quidem clerici a iudice ecclesiastico. Vid. Autorem *h. t. §.* 17.

§. VII. In termino præfixo testes producantur in iudicio, in quo causa principalis peragitur, nisi sint valetudinarii, senes, debilitate confecti, aut paupertate depressi, qui domi possunt examinari *c.* 8. *X. h. t.*

§. VIII. Producantur ad minimum duo *c.5.10.23.X.b.t.* multitudo testium refrenanda est. *c.29. X.b.t.* E contrario vnus regulariter plene non probat *c.23. & 47. X. b. t.* etiam si magnæ sit auctoritatis *c. 38. b. t.* nisi (1) ob qualitatem causæ plures haberi non possint, vt in *antiquis* & *occultis*, vt si impedimentum occultum matrimonii probandum *c.* 22. *X. b. t. c.* 12. *X. de sponsal.* vel mors *Nov.* 117. *c.* 11. (2) ob qualitatem testis, quatenus de officio suo deponit *c.19. X. de appell. c.54. X.b.t.* (3) ob processus qualitatem, veluti in summariissimo possessorio, si pro defensione vnus testis producatur &c.

§. IX. Citandus quoque est aduersarius, alio-

alioquin receptio testium est nullius momenti. *c. 2. X. h. t.* Si tamen hic contumaciter abest, nihilominus testes iuramento obstringuntur *c. 2. h. t.* Ideo autem productioni testium interesse debet, vt possit protestari contra testium inhabilium productionem; alioquin si eos scienter admiserit, publicatione facta, contra eos amplius excipere nequit, nisi iurare possit, quod de inhabilitate ei antea haud constiterit. *c. 31. X. h. t.* Consultius est, vt sibi contra personas testium quascunque exceptiones *generaliter* reseruet *c. 31. in f. cit.* quamuis hæ subtilitates in consistoriis haud attendantur. Brunnem. *in iur. eccl. lib. 3. c. 4. 5. 22.*

§. X. Producti testes in termino productionis iureiurando obstringantur, etiamsi clerici vel religiosi sint *c. 51. h. t.* nisi iuramentum pars aduersa remiserit *c. 39. X. h. t.* Iurent vero testes, *se non odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo, quod habuerint, vel habent, vel habituri sint, ad hoc iurandum inductos, & sicut ipsi dicunt, rei veritatem esse c. 5. X. h. t.*

§. XI. Post examinandi sunt testes, seorsim, remotis partibus a iudice, & quidem (1) sigillatim *c. 52. X. h. t.* (2) debita adhibita diligentia quoad omnes circumstantias *c. 37. h. t. c. 52. eod.* vnde etiam super *interrogatoriis*, quæ pars aduersa produxit, similiter examinandi sunt. Defectum in interrogatori-

is ratione *circumstantiarum* iudex supplere debet. *c.37. X.h.t.* (3) Deponant testes tantum de eo, ad quod probandum producti, in aliis ipsis non creditur *c.39. X. h. t.* (4) Dicant rationem scientiæ per illum sensum corporis, per quem veritas percipienda *c. 27. c. 33. X. h. t. c. 47. eod.* & quidem clare, alioquin denuo examinari possunt *c.53. X. h. t.* (5) cuncta plene conscribantur a iudice *c. 37. h. t.* & testibus prælegantur, & denique (6) examine facto, testium dicta in publicum monumentum seu rotulum redigatur *c.42. X. h. t.*

§. XII. Antequam rotulus publicatur, alii possunt produci testes, qui super iisdem articulis examinentur. Vltra tertiam productionem testes non producuntur, nisi adhibita solennitate legali *c. 15. 25. 36. 46. X.h.t.* Similiter etiam reus reprobationem suscipere potest, *c.26. h. t.* vnde de publicatione rotuli protestari debet.

§. XIII. His peractis tandem fit *publicatio attestatorum*, ad petitionem partium, non tertii. *c.30. X. h.t.* Huius effectus est, (1) quod reprobatio excludatur, nisi iusta causa aliud suadeat. *c.35. X. h. t.* (2) Sistatur vlterior testium productio *c. 46. X. h. t.* tam in eadem quam secunda instantia *c. 17. X. h. t. clem. 2. h. t.* modo (α) publicatio legitime facta *c. pen. de probat. c. 45. h. t.* (β) examen debito modo

modo peractum *c.48.X.h.t.* (γ) ſuper iisdem articulis teſtes examinandi ſint *c. 19. X. h. t.* aliud ſi ſuper nouis *c. 17. X. h. t.*

§. XIV. Publicatione facta ſuper dictis teſtium poteſt diſputari *c. 15. X. h. t.* & tandem iudex deſuper pronunciat, ponderando tam probationem quam reprobationem. *c. 32. X. h. t.* Atque hæ atteſtationes in vno iudicio receptæ fidem faciunt in eadem cauſa & inter easdem perſonas coram alio iudice *c. 11. X. h. t.* non in diuerſa *c. 38. X. h. t.*

MEMBRVM XVIII.

DE EXAMINE TESTIVM EXTRAORDINARIO.

§. I.

Regulariter verum eſt, lite non conteſtata, ad receptionem teſtium non eſſe procedendum in cauſa principali *c. 5. X. vt lite non conteſt.* multo minus ad ſententiam *c. 1. X. eod.* ne quidem in cauſa matrimoniali *c. 4. X. eod.* Ceterum caſus quando teſtes recipiuntur ante L. C. in puncto incidenti, huc non pertinent.

§. II. Extra ordinem tamen in cauſa principali quandoque teſtes examinari poſſunt ante L. C., imo ante motam litem, quod vocant ad *perpetuam rei memoriam c. 5.*

cit. c. 41. X. de testib. quo præcaueatur ne progressu temporis probatio depereat *c. 41. cit.* & quidem reus indistincte ad hoc examen admittendus est, vtpote in cuius potestate non est, quando excipere velit, nisi forsan per modum actionis exceptionem suam proponere possit.

§. III. Actor vero regulariter ad hoc examen haud admittitur, cum actionem mouere & ita ordinario modo probationem peragere possit. Ex iusta tamen causa ad hoc *examen extraordinarium* admittitur, (I) si in præsentiarum commode agere non possit, vel litis contestatio aliunde impediatur, (II) si de testium morte vel absentia diuturna metus adsit *c. 5. X. vt lite non cont.* modo intra annum actionem moueat, vel saltim receptionem huiusmodi testium denunciet reo *cit. c. 5.*

§. IV. Facienda est hæc receptio testium coram eo iudice, coram quo controuersia suo tempore ventilanda est, & quidem eodem modo, quo ordinarium examen testium instituitur. Hinc citandus est aduersarius, ad videndum iurare testes, & vt interrogatoria, si velit, offerat *c. 41. X. de testib.* nisi præsentissimum in mora periculum sit Meu. *P. 8. Decis. 261. & 471.* Hoc examen itidem in rotulum coniicitur, & demum publicatur, vbi ordinarie probatio fuisset facienda.

§. V.

§. V. Atque hoc obtinet, *cum ciuiliter agitur*, vt dicitur in *c. 5. cit.* Scilicet in criminalibus requiritur probatio luce meridiana clarior, & inde ordinarium examen testium necessarium est, Nisi 1) ex crimine ciuiliter agatur 2) ad instruendam inquisitionem generalem, vel 3) ad defensionem rei. Conf. Dn. Werlhof. *de exam. testium extraord.*

MEMBRVM XIX.
DE FIDE INSTRVMENTORVM.

§. I.

PRobatio porro instruitur per *INSTRVMENTA publica.* Huc referuntur I) *libri ecclesiastici*, qui fidem de iis faciunt, quae parochus ratione officii egit Concil. Trid. *sess. 24. de reform. c. 1. in f. vers. habeat Parochus.* II) instrumenta a publicis personis confecta, veluti sigillo capituli munita *c. 5. X. de probat. c. 9. X. h. t.* modo sigillum integrum sit & instrumentum legibile *c. 6. X. eod.* III) acta publica a personis publicis conscripta *c. 11. X. de probat.* IV) libri censuales in archiuo reperti & a scrinario conscripti *c. 13. X. de praescript.* V) scriptura testibus roborata, modo re-

teſtes adhuc viuant, vt manum ſuam recognoſcere posſint *c. 2. X. h. t.* VI) Tabellionis inſtrumentum, vel, ſi hic deceſſerit, vt non potuerit ex iis, quæ in nota redacta ſunt, inſtrumentum facere, à iudice ex protocollo deſumtum ad inſtantiam partium *c. 15. X. h. t.*

§. II. Probant vero tantum I) authentica, non exemplaria inde deſumta, niſi *α*) in antiquis, *β*) auctoritate publica transſumta ſint, ita vt iudex ordinarius de veritate originalis antea agnoſcat, citatis iis, quorum intereſt, quo caſu parem cum originali vim ſortiuntur *c. f. X. h. t.* II) nullo vitio aut raſura deprauata *c. 3. 6. X. h. t.*

§. III. Eandem auctoritatem non habent inſtrumenta priuata, ſed tantum contra ſcribentem probant, modo *cauſa debendi* in eis expreſſa ſit: ſi *indeterminate* loquantur, nihil probant *c. 14. X. h. t.* h. e. ſi vel nulla vel generalis tantum cauſa debendi expreſſa ſit, niſi aliunde de cauſa debendi conſtet. Inter mercatores tamen huiusmodi cautiones valere vulgo receptum eſt. Brunnem. *cent. 2. deciſ.* 99.

§. IV. Produci debent inſtrumenta poſt L. C. etiam poſt publicationem atteſtationum, vsque ad definitiuæ ſententiæ lationem, ſeu antequam in cauſa concludatur *c. 9. X.*

X.h.t. modo probatio nullo termino probatorio circumscripta fuerit. Post conclusionem in causa regulariter produci nequeunt, nisi de nouo fuerint reperta *c.* 4. *X. de except. c. 4. de elect. in 6. vers. alioquin.* vel adversarius productioni consentiat, vel causa ecclesiastica sit.

§. V. Licet vero testes eandem vim probandi habeant, quam instrumenta, quædam tamen magis probantur per instrumenta, & hactenus hæc eis prævalent, vt in antiquis & priuilegiis *c.* 13. *X. de præscript. c.* 7. *X. de priuil.* & quarum fluxa est memoria *l. 3. C. si min. se mai. dix.* Interim tamen extra hos casus etiam instrumentorum falsitas per testes potest probari *c.* 10. *X. h. t.* vid. diss. *de collis. probat. c. II.*

§. VI. Corruit vis instrumentorum (1) si idem contraria produxerit *c. 13. X. h. t.* si vel maxime cum protestatione posterius produxerit, (2) si aliis vitiis laborent *c.* 3. *&* 6. *h. t.* (3) si ab altera parte contrarium documentum producatur, quo casu probabiliori standum, vel, si de hoc non constat, contra eum pronunciandum, qui probare debuit. vid. *cit. differt. c. III.*

MEM-

MEMBRVM XX.
DE PRÆSVMTIONIBVS.

§. I.

VLterius probatio fit per argumenta artificialia, quæ operantur PRÆSVMTIONEM h. e. probabilem coniecturam ex legitimis indiciis & causæ circumstantiis desumtam. Quemadmodum vero probabilitas suos gradus habet; ita præsumtiones quoque vel summam vel leuissimam vel mediocrem fidem operantur. Illa rarissime, isthæc quandoque, hæc vero sæpissime fallit.

§. II. Est hæc vel lege determinata vel non. Illa dicitur *iuris*, quando a lege ei hic effectus tribuitur, vt in dubio pro veritate assumi debeat, absque qua determinatione non est præsumtio iuris, licet forsan obiter in iure allegetur. Talis inducitur ex vita ante acta *c.* 3. 15. *X. h. t.* ex præteritis præsumuntur futura *c. 6. 9. X. h. t.* ex vicinitate præsumitur notitia facti *c.* 7. 8. *X. h. t.* qualitas naturalis vel legalis præsumitur inesse *c. f. X. h. t.* fornicatio præsumitur, si nudus cum nuda reperiatur in eodem lecto *c.* 12. *X. h. t.* omnis præsumtio est delicti exclusiua, mutatio non præsumitur &c. De aliis in materia eccle-

sia-

siastica præsumtionibus vid. Brunnem. *de iur. eccles. lib. III. c. 6. §.* 10.

§. III. Aliquando præsumtio a lege ita determinata est, vt non admittat probationem in contrarium, quam vocant *præsumtionem iuris & de iure c.* 30. *X. de sponsal. c.* 7. *X. de despons. impub. c. 6. X. de condit oppos.* quamvis hæc species improprie præsumtio dicatur. Minime tamen huc referri debet *violenta* & *vrgentissima* præsumtio, quale exemplum est in *c. 2. X. h. t.* quæ adhuc admittit probationem in contrarium *c.* 1[illegible] *X. h. t.*

§. IV. Licet vero hæc præsumtio non admittat probationem in contrarium, contra eam tamen in foro ecclesiastico locum habere volunt *denunciationem Evangelicam*, qua vtuntur, quando quidẽ in foro externo quis tutus est, sed salva conscientia ius acquisitum exercere nequit. Trahunt illam ex Matth. XIIX, 15. seqq. in quo loco tamen doctrina *de redarguendo fratre* tantum proponitur, non remedium aliquod civile. Ast *denunciatio evangelica* per modum remedii civilis peragitur coram consistorio, seu *iudicio ecclesiastico*, &, si denunciatus a iure suo quæsito desistere nolit, excommunicatur, quo ipso omnes res iudicatæ hoc modo resciendi possunt. Admittunt itaque, quamvis male, hoc remedium contra hanc præsumtionem, quod

quod declarat Brunnem. *in iur. eccl. lib. III. c. 6. §. 9.*

§. V. Si præſumtio non eſt eo modo a lege determinata, dicitur *hominis*, quæ pro veritate non habetur, vt iudex eam in pronunciando ſequi poſſit, ſed vel probantem adiuuat, vel facit locum iuramento purgatorio aut ſuppletorio *c. 2. 3. X. de probat. c. 2. X. de purgat. canon.* Sic fama viciniæ præſumtionem pro matrimonio operatur, plene tamen non probat, niſi aliunde adminicula habeat *c.* ▪ *X. h. t.*

§. VI. In *colliſione præſumtionum* fortiori ſtandum, h. e. quæ maiorem pro ſe probabilitatis rationem vel iuris fauorem habet, qualis eſt *pro libertate rerum.* Sic etiam *generalior præſumtio cedere debet ſpecialiori*, quas & ſimiles regulas illuſtraui *diſſ. de collis. præſumt.*

MEMBRVM XXI.
DE IVREIVRANDO.

§. I.

Probatio quoque non raro per *iusiurandum* inſtruitur, vel ſaltim lis deciditur, quamuis iuramentum præterea de iure canonico variis aliis vſibus inſeruiat, de quibus poſt. *IVSIVRANDVM eſt religioſa aſſeueratio, qua in maiorem rei veritatem Deus vocatur*

in

in testem & vindicem. Religiosa asseueratio non sufficit, qualis est 1 *Cor. XV*, 31. in quo loco minus recte Augustinus iuramentum quærit in *c.* 2. 4. *C.* 22. *qu.* 1. Nam præterea Deus *in vindicem* vocari debet, id quod proinde *tot solennibus externis* declarari solet, imo ipsis formulis, potissimum in *Iudæorum* iuramentis. Formulæ inter christianos receptæ: *Sic me Deus adiuvet* &c. rem non satis exprimunt, & ad naturam precum simplicium inclinant, quamuis antiquissimæ sint. *c.* 5. *seqq.* *C.* 55. *q.* 6.

§. II. Cum itaque *sui ipsius deuotio*, quæ iuramentis propria, admodum dura sit, inde iuramentis Salvator obicem posuisse videtur. Et quidem Christiani primitiuæ ecclesiæ stricte præcepto Saluatoris inhæserunt: patres seculi V. & seqq. indulgentiores circa iuramenta fuere, & præceptum Christi *de non iurando* varie explicuere, *c.* 2. *seqq. c.* 22. *q.* 1. docentes, temeritatem iuramentorum a Christo refrenatam, legitimum, *in necessitate*, usum admissum. *c.* 5. *ibid.* ita vt non sponte præstetur, sed demum ad instantiam alterius in necessitatis casu *c.* 26. *X. h. t.* Si omnes ad Christi regulas mores componeremus, simplici assertioni & negationi stari posset, quippe quæ iuramentis æquipollerent *c.* 16. *C.* 22. *q.* 5. qualem vitam Saluator postulauit, & primi Christiani mo-

ribus expresserunt. Ast cum in alio plane statu viuamus, præceptum illud *de non iurando* ad præsentem statum applicari nequit, quorsum etiam inclinat Pontifex in *c. 26. X. h. t.*

§. III. Ex quo fluit I) *per creaturas* non esse iurandum *c. 9. sqq. C. 22. q. 1.* (& tamen Pontificii admittunt iuramentum per *reliquias sanctorum c. 5. seqq. C. 35. q. 6.*) multo minus per falsos Deos, quamvis ab infidelibus tale iuramentum accipere permissum sit *c. 16. C. 22. q. 1.* & qui ita iurat, periurium committat, si fidem frangit *c. 10. C. 22. q. 5.*

§. IV. II] *Temere haud esse iurandum*, multo minus in communi loquela *c. 12. C. 22. q. 1.* & sic *iuramenta extraiudicialia* resecanda forent, quæ tamen per ius canonicum admodum promota & multiplicata sunt.

§. V. III] *Formulas iuramentorum, & solennitates esse arbitrarias*, modo conceptum iuramenti exprimant, vtpote si quis iurauerit bey dem Worte der ewigen Warheit. Interim *ad effectum civilem externum* præscripta formula & solennitate vtendum: hac a laicis fit per erectionem digitorum; a clericis vero per admotionem manus sinistro pectori.

§. VI. IV] In omni iuramento necessarios esse hos tres comites: *veritatem, iudicium & iustitiam Jerem IV, 2. c. 7. C. 2. q. 1. c. 26. X. h. t. Veritas* quidem, vt periurium euitetur; *iudicium*,

vt

vt iurans intelligat vim iuramenti & materiam de qua iuratur: *iuſtitia*, ne de re illicita iuretur, & iuramentum fiat vinculum iniquitatis.

§. VII. Quamuis vero ſint variæ iuramentorum ſpecies, hic tamen primario de *iuramento litis deciſorio* agendum, quod litis decidendæ cauſa exigitur ſiue principalis, ſiue incidentis. Eſtque duplex, vel *iudiciale* vel *legale*: Illud dicitur *quod pars parti defert in iudicio, approbante iudice per ſententiam interlocutoriam c. f. X. h. t.*

§. IIX. Defert hoc iuramentum, cui onus probandi incumbit, ſiue actor ſit ſiue reus, non procurator, niſi ſpeciali mandato inſtructus, nec, qui alias libere de re ſua diſponere nequit, quales etiam ſunt clerici, cauſas eccleſiarum ſuarum agentes. Defertur omnibus, cuiuſcunque conditionis fuerint, etiam 1] clericis *c. 26. inf. X. h. t.* 2] impuberibus, vt tamen præſtatio actualis iuramenti differatur ad annos *pubertatis plenæ:* 3] de periurio ſuſpectis, quamuis qui talibus defert iuramentum, grauiter peccet *c. 5. 6. C. 22. q. 5.* Interim delatio talis valet in præiudicium deferentis.

§. IX. Deferri poteſt in quacunque cauſa, *quæ priuati eſt arbitrii*, & de qua tranſigi poteſt, & conſequenter delationi locus eſt in ſponſalibus, quia mutuo diſſenſu diſſolui

possunt *c. 2. X. de sponsal.* vid. Dn. J. S. Stryk diss. *de delat. iumment. in matrim.* E contrario deferri nequit I) in causis beneficialibus Brunnem. *in iure eccles. lib. III. c. 5. §. 4. c. 10. X. de transact.* II) contra matrimonium *c. 7. X. de sent. & re iud.* nisi alia omnis ratio litem dirimendi cesset *c. 10. X. de desponsat. impub. c. 7. X. de frig. & malef.* III) in criminalibus, criminaliter peragendis, nisi reo deferatur ad innocentiam suam ostendendam *c. vlt. X. h. t.*

§. X. Deferri potest de iure communi quocunque tempore ante conclusionem in causa, tam in prima, quam secunda instantia, licet actor probationem iam susceperit. Huic enim renunciare & iuramentum deferre non est prohibitum *l. 12. C. de reb. cred.* nec iure canonico mutatum.

§. XI. Delatum iuramentum, interlocutoria sententia præcedente, omnino est præstandum, nec recusari potest nisi *iusta de causa*, alioquin reus habetur pro confesso, vel si actor recusat, reus absoluitur *c. f. X. h. t.* modo deferens de malitia iurare paratus sit. Antequam autem is, cui delatum est, iuramentum susceperit, illud referre deferenti potest, quatenus æqualem notitiam habet. Excipit tamen Gregorius IX. in *c. vlt. X. h. t.* actionem famosam criminaliter intentatam, ne eius probatio iuramento actoris nitatur,

quæ

quæ debet esse luce meridiana clarior. Quin etiam moribus is, cui delatum est iuramentum, se offerre potest ad probandum id, de quo iurandum erat, qui tamen, si nihil probaverit, adhuc ad iuramentum admittitur.

§. XII. *Legale* iuramentum est, quod ex necessitate legis defertur, idque vel *ad supplendam probationem imperfectam*, vel *ad purgationem rei suspicionibus grauati*, inde prius *suppletorium*, hoc *purgatorium* seu *purgatio canonica* dicitur. Vtrumque solus iudex defert, prout rationes circumstantiarum id postulant; actori quidem, si semiplene probatum sit, & qualitas personæ hoc admittat; reo vero, si nequidem semiplene probatum est, quædam tamen suspiciones contra eum militant, vel si semiplene quidem probatum, sed actor forsan non sit integræ fidei, & caussa tamen ardua *c. vlt. X. h. t.* Sic in matrimonialibus caute & circumospecte iudex hic procedere debet, vtrum afferenti suppletorium, an neganti purgatorium deferat? Brunnem. in *iur. eccles. lib. III. c. V. §. 6. seqq.* Sane si iuuenis fateatur stuprum, sed promissionem matrimonii neget, hic regulariter iuramento se purgare debet.

§. XIII. Ceterum si super graui caussa præstandum est iuramentum, canones desiderant quoque *compurgatores*, qui de credu-

litate iurant, vt per hos iuraturo eo maior fides concilietur *t. 1. X. de purgat. canon.* qui tamen nostris in foris ignorantur. Receptius vero est, vt ministri ecclesiæ ad actum iurandi adhibeantur, qui grauissimis persuasionibus animum iuraturi flectere studeant, ne periurium committat.

§. XIV. Sic iteque ius canonicum paucissima tantũ tradit de *iuramento litis decisorio*, & quæ tradit, ex iure ciuili repetit; quæ vero de iuramentis tradit, ad extraiudicialia negotia spectant. Agnoscit hic diuersitatem iuris ciuilis & canonici Gonzalez ad *c. vlt. h. t. n. 1.* ajens: *Ius ciuile iuramentum in litibus duntaxat admittit, & agnoscit; Ius vero Pontificium etiam in litibus & praeterea in negotiis aliis quibusuis.* Hoc tamen contra Saluatoris doctrinam esse, supra asserui, cum nulla tanta necessitas iuramenta exigat quoad negotia *extraiudicialia*, quam *iudicialia*. Extenderunt vero vsum iuramentorum vel ideo, vt quæcunque negotia secularia ad suum forum trahere possint, vbi iuramentis munita sunt, quia sic spiritualem qualitatem induunt. Deinde, vt per iuramenta obedientiam & subiectionem laicorum firmarent. Imo hoc modo clerici potentiores sibi subiecerunt inferiores. Sic Pontifex Pallium Archiepiscopis haud tradit, nisi iuramentum obedientiæ canonicæ præstiterint, nec ali-

aliter confirmat electos episcopos. Ipsam formulam vid. in *c.4.X. h.t.* Episcopi quoque a clericis suis idem iuramentum exegerunt, quod tamen prohibitum est *c. 5. X. h. t.* Denique huc quoque collimat *iuramentum religionis*, quod reuera est *iuramentum obedientiae*, quia per hoc clerici conscientiis dominari tentarunt.

§. XV. Ex hac praxi canonica tandem invaluit, vt quibuscunque actibus, maxime de quorum validitate dubitari poterat, iuramentum adiiceretur, quo ipso hoc iure nouum robur accipiunt, & virtute iuramenti subsistunt ex vulgata regula: *Omne iuramentum, quod salua aeterna salute seruari potest, seruandum esse c. 2. de pact. in 6. c. 28. X. h. t.* Distinguendum tamen, vtrum actus tantum *nullus* sit, an vero *absolute prohibitus.* Ibi iuramentum actui validitatem conciliat, cum in arbitrio eius, cuius interest, positum sit, nullitatem haud allegandi. Hic vero iuramentum nihil operatur, quia legi prohibitiuae renunciari nequit *c. 12. X. de for. compet. c. 10. X. de sponsal.*

§. XVI. Praestaret, vtroque casu ius ciuile sequi *l. 5. C. D. LL.* vt vsus iuramentorum extraiudicialium temerarius sisteretur, qui per doctrinam canonicam mirum in modum promotus est. Sed postquam iudices per censuras ecclesiasticas adacti sunt ad servan-

dam doctrinam hanc canonicam in foro ciuili per *c. 2. b. t. in 6.* in foris adeo hæc radices egit, vt etiam inter protestantes strenue defendatur.

§. XVII. Ceterum vim obligandi amittit iusiurandum I) remissione eius, cui iuratum est. *c. 2. X. de sponsal.* II) cessante conditione expressa vel tacita, qualis est: *rebus sic stantibus c. 25. X. b. t.* III) concurrente difficultate, propter quam promissum impleri nequit *c. 17. X. b. t.* IV) absolutione vel relaxatione a magistratu ecclesiastico facta.

§. XIIX. Ast circa *absolutionem* circumspectione opus est. Nam iuramentum aut vitium habet, & invalidum est, aut subsistit. Priori casu tantum iuramentum declaratur nullum, & quia hoc, præcedente cognitione de validitate iuramenti, fit, a vinculo eius dicitur *absolui*, qui iurauit *c. 2. X. b. t.* veluti si vi metuque vel dolo extortum *c. 29. X. b. t.* si super re illicita præstitum &c. Cognitionem autem, vtrum iuramentum sit licitum an illicitum, & ideo seruandum annon seruandum, Pontifex ad forum ecclesiasticum traxit *c. 34. X. de elect.* & in hac cognitione tota se fundat *relaxationis* ratio. Posteriori casu vero relaxatio fieri nullo modo potest, quamuis in foro ecclesiastico semper prætextus excogitari valeant,

ant, ob quos iuramentum inualidum declaretur. Hoc lubens concedo, posse principem iuramento valido effectum subtrahere in pœnam eius, cui iuratum est, si iusta causa id suadeat.

§. XIX. Ex hac doctrina praxis inualuit, quod illi, qui inique vrphedam præstiterunt, soleant antea petere relaxationem iuramenti ad effectum agendi Gail. *1. obs. 22.* Blum. *in proc. camer. tit. 35.* quod in *ordinat. Camerali* clare prouisum est. Et ita cognitio de validitate iuramenti quoque ad forum seculare spectat, quamuis Pontifex hanc cognitionem tantum ad suum forum trahere nitatur *c. 34. X. de elect. c. fin. de for. compet. in 6.* Imo cum hæc relaxatio tantum cleri Pontificii inuentum sit, vt causarum secularium cognitionem ad suum forum trahant, merito inter Protestantes cognitio hæc foro seculari vindicatur.

MEMBRVM XXII.
DE EXCEPTIONIBVS.

§. I.

SVpra dictum est, probatione peracta, *reprobationem* super *directo contrariis articulis* demum permissam esse ante publicationem attestationum. *clem. 2. de testib.* Fit vero præterea reprobatio alio modo, si reus ex-

ceptiones peremtorias habeat, quibus actionem intentatam elidere conatur, quæ etiam adhuc integra est, publicatis attestationibus. Brunnem. *in proc. ciu. c. 20. n.* 81. Gonzalez *ad c. 12. h. t. n.* 11.

§. II. In genere *exceptiones* dicuntur allegationes, quibus reus ad sui defensionem vtitur contra motam actionem, suntque vel *dilatoriæ* vel *peremtoriæ*; *illæ* tantum differunt, *hæ* vero plane tollunt litem. *Illæ* ante litem contestatam opponi debent, nec postmodum admittuntur *c.* 20. *X. de iudic.* nisi (1) post litem contestatam demum ortæ fuerint *c. 25. X. de offic. & pot. iud. Deleg. c. 4. X. h. t.* (2) Processum reddant retro nullum, qualis est exceptio falsi procuratoris *c. 4. in f. X. de procur.* item excommunicationis *c. 12. X. h. t.* (3) si post L. C. demum in notitiam rei pervenerint *c. 4. X. h. t. c. 31. de testib.* quod iuramento asserendum est. *cit. c.* 4. (4) Si gravamen continent non momentaneum, sed tractum temporis habens, qualis est exceptio loci non tuti. *c. 47. X. de appell.*

§. III. Integrum vero est, aut omnes simul, aut successiue easdem proponere, nisi (1) adsit *fori declinatoria*, quæ ante omnes proponenda *c. 20. X. de sent. & remiss.* (2) nisi *iudex certum præstituerit terminum*, intra quem omnes proponi debeant, *c. 4. X. h. t.* quod

hodie

hodie generaliter constitutum, vt omnes in primo termino coniunctim proponantur. Imo in caussis summariis iudex tales exceptiones, quantum fieri potest, plane reiicere debet, *clem. saepe de V. S.* & sic etiam in caussis *ecclesiasticis* seu *consistorialibus*.

§. IV. Longe diuersam indolem habent *peremtoriae*, quae, vt antea dixi, ad *reprobationem* quoque referri possunt. Sed etiam hae duplicis generis sunt; quaedam sunt *simpliciter tales*; quaedam vero *litis finitae* dicuntur, quibus reus intendit, litem iam finitam esse per rem iudicatam, iuramentum extraiudiciale, transactionem. Hae ante L. C. opponi & probari possunt, non illae *c. 2. de L. C. in 6.* nisi etiam hae in continenti probari queant, quod moribus inualuit; si autem altioris indaginis sunt, Litis contestatio iniungitur & post eam reo reseruantur. Vnde adhuc reus litem negatiue contestari potest; quia excipiens non videtur fateri intentionem actoris *c. 6. X. h. t.*

§. V. Quae post litem contestatam opponuntur, certum terminum a iure canonico haud acceperunt, prout §. *1.* dictum est. Sed per *R. I. de anno 1654. §. 37.* rei iubentur, omnes peremtorias sub poena praeclusi litis contestationi annectere, quamuis probatio earum reseruetur ad terminum, quo reprobatio fieri debeat.

MEM-

MEMBRUM XXIII. DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

§. I.

INter peremtorias eminet exceptio *præscriptionis*, iis opponenda, qui post terminum, actioni in iure præfixum, agunt. Præscriptiones hæ sunt duplicis generis, quædam introductæ sunt *fauore possidentis*, quædam *odio petentis*. Illæ vsucapienti prosunt *ob b. f. possessionem*, licet dominus negligens haud fuerit, & ita aduersus creditores quoque, quibus res obligata fuit, competunt, quia non se fundant in negligentia non-petentis. Hæ illis prosunt, qui actione personali vel alia temporali conueniri poterant, & tempore præstituto haud sunt conuenti. Gratianus *ad c. 15. c. 16. q. 3.* Et quia se fundant in negligentia agere cessantium, non nocent iis, qui agere impediti sunt, forsan ob hostilitatem *c. 10. X. h. t.*, vel Schisma *c. 14. X. h. t.* vel si vacauit ecclesia cathedralis, & defensore destituta fuit *c. 15. X. h. t.*

§. II. Circa vsucapionem stricte dictam hæc de iure canonico singularia occurrunt: (I) quod contra ecclesiam 40. anni requiran-

rantur *c.4.X.h.t.* vt & aliam piam causam, licet ecclesia contra priuatos ordinario tempore tuta sit.*c.3.X.h.t.* Imo contra ecclesiam Romanam centenaria requiritur *c.14. X.h.t.* & sic taciturnitas prælatorum potest nocere ecclesiæ *c.1.X.h.t.* Dantur etiam quædam ecclesiæ cathedrales, quæ ex beneficio Pontificis Romani contra omnem præscriptionem tutæ sint.

§. III, (II) Bona fides in omni temporis præstituti parte requiritur. Dicitur autem *bona fides*, iusta opinio, qua quis putat, rem, quam possidet, esse suam, quæ tamen aliena est, & ita hæc semper supponit *possessionem rei alienæ*, per *c.f.X.h.t.in f.* vnde dispositio iuris canonici ad alias præscriptiones referri nequit, quam vbi quis rem alienam possidet. E contrario in præscriptionibus contra debita mere personalia, nihil immutatum est, nec ad eas dispositio iuris canonici applicari potest, cum is, qui scit, se certam quantitatem debere, propterea non sit in mala fide constitutus, si modo interpellatus non fuerit. Conf. *c.5.X.h.t.*

§. IV. Jus ciuile tantum requirit *bonam fidem* ab initio, quæ dispositio sine dubio magis consulit vtilitati reipubl. quæ huc tendit, vt lites finiantur. Ius canonicum vero æquitatem & conscientiæ rationem

pro

pro fundamento habet, sed ita fere vsucapionis rationem sustulit, cum lites ex lite inde progerminent, & vsucapio seu praescriptio hodie non amplius sit modus lites finiendi, sed promouendi. Interim iure canonico in praxi vtimur.

§. IV. (III) Laici non possunt praescribere *decimas*, aut alia spiritualia, vtpote quorum possessionis incapaces sunt. *c. 7. X. h. t. c. f. X. de rer. permut. c. 17. X. de Decimis.* Idem quoque dicendum esse volunt de *iurisdictione ecclesiastica*, quae doctrina tamen ad fora Protestantium non recte applicatur, cum laici harum rerum possessionis sint capaces.

§. V. Similiter (IV) nulla praescriptione acquiri possunt vel admitti, quae ad statum ecclesiae eiusque regimen pertinent. Huc pertinet visitatio, aut procuratio ratione visitationis debita *c. 11. & 16. X. h. t.* obedientia & subiectio *c. 12. X. h. t.* Parochiarum & Dioecesium limites *c. 13. de probat. c. 4. de Paroch.* Si tamen de certis limitibus non constat, praescriptio 30. annorum attenditur. *c. 6. C. 16. q. 6.* Huc quoque referendam esse existimo *dotem* ecclesiae stricte dictam, certo officio sacro deputatam, cuius generis etiam sunt *bona mensae Episcopalis*, seu *bona mensalia*. Haec a ceteris *bonis ecclesiasticis* in eo differunt, quod sustentationi clericorum speciatim & perpetuo destinata sint, quod de-

de ceteris bonis ecclesiasticis, quæ tantum sunt in patrimonio ecclesiæ, dici nequit. Proinde hæc facilius alienari possunt, illa difficilius, interim non omnis alienatio eorum exclusa est. Bicchius *Decis. 375. n. 4.* Ziegler *de dot. eccl. c. 12. §. 6. seq.* Ioh. a Sande *de probib. rerum alien. P. 1. c. 6.* §. 4. *n.* 27. Inde quoque illa præscriptione quadragenaria amittuntur, non hæc, *mensalia* scilicet, seu *dotalia*.

§. VI. Hæc tamen iura, quæ præscriptione ordinaria dicto modo acquiri non possunt, inconcussa manere volunt, *præscriptione immemoriali* interueniente, quæ tempus, cuius initii non extat memoria, requirit, & priuilegio æquiparatur in *c. 26. X. de V. S.* Videlicet vetustas tanti temporis inducit præsumtionem iuris & de iure, legitime & valide hæc iura vel remissa, vel bona alienata esse, & inde hac præscriptione libertas vel ius aliud non tam acquiritur, quam ab initio legitime esse acquisitum, demonstratur. Cum ergo etiam *bona mensalia* quandoque licite & valide, adhibitis debitis requisitis, alienari possint, talem alienationem qualificatam ab initio factam fuisse, vetustas tanti temporis probat. Faber *in Cod. lib. 7. tit. 13. Def. 19.*

§. VII. (V) Sine possesione præscriptio haud procedit *c. 3. de R. I. in 6.* quæ regula tamen

tamen reſtringi debet ad illos caſus, quibus quis dominium aliquod, vel ius ſingulare acquirere intendit: nam ad *amittendum ius*, quo alteri libertas obueniat, ſolum lapſum temporis ſufficere oſtendi in *Diſſ. de præſcript. ann. redit. real.* §. 18.

MEMBRVM XXIV.
DE SENTENTIA ET RE IVDICATA.

§. I.

PRobatione & reprobatione peracta, tandem concludendum in cauſa, quo ipſo litigantes vlterioribus deductionibus renunciant, & deciſioni iudicis cauſam committunt, id quod fit per *ſententiam definitiuam*, qua cauſa in litem deducta, deciditur, & reus abſoluitur vel condemnatur *c. 15. X. de V. Signif.*

§. II. Ab hac differt *interlocutoria*, per quam tantum punctus incidens in lite principali deciditur, eſtque vel *mere talis*, quæ grauamen ſingulare nullum habet, vel *mixta*, quæ habet vim definitiuæ, vel damnum irreparabile continet, quam diſtinctionem in materia appellationis recepit Concil. Trident. *Seſſ.* 13. *de reform. c.* 1. & *Seſſ.* 24. *de reform. c.* 20. Sic etiam in modo appel-

appellandi quædam eſt differentia inter definitiuam & interlocutoriam per *c.60. X. de appell.* de quo *tit. ſeq.* Item quod ſolennis publicatio non requiratur in interlocutoria.

§. III. In ſententia ferenda reſpiciendum eſt (I) *ad competentiam iudicis:* ab incompetente lata, veluti a ſeculari iudice in cauſa clericorum eſt ipſo iure nulla *c. 4. X. de iudic. c. 3. X. de conſuet.* Ceterum quomodo delegati in ferenda ſententia procedere debeant, colligi poteſt ex iis, quæ dicta ſunt *Membr. II.*

§. IV. (II) *Ad ordinem iuris c. 19. X. h. t.* vel iure communi præſcriptum, vel etiam a delegante determinatum, veluti ſi cauſa eſt delegata ſub clauſula *de ſimplici & plano*, vbi ſententia poteſt ferri etiam concluſione non facta, in ſcriptis & ſine ſcriptis, a iudice ſedente vel ſtante &c. *clem. ſæpe de V. S.* Alioquin ſententia non ſeruato iuris ordine lata eſt ipſo iure nulla *c. 24. X. h. t.* veluti ſi litis conteſtatio deſit. *c. 1. ſeq. X. Vt lite non conteſt.*

§. V. (III) *Ad normam legum vel regularum eccleſiaſticarum*, ſecundum quas lites decidendæ, alioquin ſententia eſt ipſo iure nulla *c. 1. 8. X. h. t.* Quod ſi diſſenſus adſit inter ius ciuile & canonicum, Pontifex canones præferendos eſſe voluit, quia eos in

hunc promulgarit finem, vt derogarent iuri ciuili, inde quoque fieri videmus, in decisionibus *vtplurimum* præualere ius Canonicum. Tradunt quidem communiter regulas, quando iuris canonici aut ciuilis dispositiones præualere debeant, quæ tamen ita sunt comparatæ, vt iis fidere haud valeamus.

§. VI. (IV) *Ad acta & probata*, ne in *applicatione* erretur; alioquin sententia *contra ius litigatoris* lata dicitur, & in rem iudicatam transit, nisi intra decendium suspensa fuerit. *c. 13. X. h. t.* Inde iudices in examinando facto cauti & prouidi esse iubentur, ne affectibus indulgeant, sed in concipiendis sententiis præ oculis Deum habeant *c. 1. h. t. in 6.* Imo ne in facto ipso erretur, iudices tam ordinarii quam delegati publicam personam adhibere debent, qui vniuersa iudicii acta conscribant, competente ordine, designando loca, tempora & personas. *Neque enim pro iudicis processu præsumitur, nisi quatenus in causa legitimis documentis constiterit*, vt ait Pontifex. in *c. 11. X. de probat.*

§. VII. Sententia legitime concepta tandem in termino præfixo, ad quem partes citandæ, est debito modo publicanda, alioquin contra non citatum effectum habere nequit. Publicatio ipsa facienda est in iudicio *a iudice*: (nomine Episcopi alius eam re-

recitare poteſt) & quidem *ſedente* ex ſcriptura, quæ poſtea partibus eſt edenda *c. f. b. t. in 6.* Vt vero iudex ipſe hodie recitet ſententiam, non eſt neceſſe, cum recitatio plerumque a ſecretario iudicii fiat.

§. VIII. Legitime publicata in rem iudicatam tranſit *c. 13. in f. X. b. t.* quatenus de iure mere priuato actum eſt. Inde in rem iudicatam non tranſeunt latæ (I) in cauſis matrimonialibus, *c. 7. X. h. t.* (II) in cauſis beneficialibus, (III) criminalibus.

§. IX. Rei iudicatæ effectus eſt, (I) quod faciat ius inter partes, cum victus ſententiam approbaſſe cenſeatur *c. 15. X. h. t.* ex quo apparet, quam inique contra rem iudicatam concedatur *denunciatio euangelica*, qua volunt, reſcindi poſſe res iudicatas, ſi poſtmodum de iure victi euidenter conſtiterit. Sed ſupra iam monui, minime hoc remedium in ſacris eſſe fundatum, imo quod debebat eſſe *charitatiuum* remedium, eo modo fit *coactiuum*, dum ita peti ſolet, Denunciaten durch gebührenden Kirchen-Zwang darzu anzuhalten / daß er ſeine ſchwere Sünde bereue / und mir die durch Urthel abgeſprochene 500. Thlr. bezahlen müſſe.

§. X. Alter effectus ſententiæ, condemnatoriæ ſcil., eſt, quod executioni mandari debeat. Et quidem fieri debet executio (I) a iudice, qui ſententiam tulit, vel cui hic

executionem demandauit. Hic tamen de nullitate sententiæ opposita iudicare nequit, sed quæstionem ad delegantem referre debet. *c.5. X.b.t.* quia merus est executor. Aliud videtur dicendum, si iudex alterius loci in subsidium iuris imploratur ad executionem faciendam, quippe qui merus executor, dici nequit, cum iurisdictionem habeat. Sic consistoria solent executionem brachio seculari committere, cum mediis executionem faciendi communiter destituantur Brunnem. *de iure eccl. lib. III. c.* 11.§.3. (II) post quadrimestre spatium, si sententia de quantitate soluenda lata sit, quod iudex tamen pro qualitate debiti & circumstantiarum & arctare & prorogare potest. *c. 15.X. b.t.*

Membrvm XXV.
De
APPELLATIONIBVS.

§. I.

SVspendi vires rei iudicatæ possunt per *APPELLATIONEM* rite interpositam, quæ est *prouocatio ad superiorem iudicem ob grauamen illatum.* Cum vero *prouocatio* sæpe in iure de simplici querela, coram iudice proposita, prædicetur, *l.* 7. §. 5. *comman diuid. l.* 7. §. *vlt.*

§. *vlt. eod.* inde a glossatoribus excogitata est *appellatio* duplex, *iudicialis*, quæ a sententia iudicis inferioris, & *extraiudicialis*, quæ a grauamine extraiudiciali interponitur, quam speciali tractatu explicuit Dn. Lyncker *de grauam. extraiud.*

§. II. Dicitur vero *grauamen extraiudiciale* (I) quod non a iudice sed a parte extra processum infertur, vel a iudice quidem, sed non qua tali, verum vt parte. *c. 51. X. h. t.* Hæc appellatio improprie talis est, & magis simplex prouocatio ad causam *c. 5. X. h. t.* & sic ordinarius iudex, qui in prima instantia iudicat, adeundus, non superior. Gail. *1. obs. 120. n. 3. 4.* Huc pertinet, si locator colonum propria auctoritate expellere nititur, si quis aliquid suscipit in præiudicium tertii &c.

§. III. (II) Quod a iudice infertur in præiudicium tertii, qui ad actum non est citatus, ad quem citari debuisset, vel si citra causæ cognitionem sufficientem partem grauat, forsan periculo petentis decernendo sequestrum, arrestum, si audientiam denegat, vel saluum conductum *c. 47. X. de appell.* &c. Hisce & similibus casibus *extraiudicialiter* procedere iudex dicitur, cum debite suum officium haud faciat. Imo & illa, quæ ante L. C. fiunt, solent huc referri, quod litis contestatio demum initium

iudicii ex principiis Romanis constituat.
Et hisce in casibus appellatur ad superiorem.
Tam late extenderunt canones beneficium
appellandi sub prætextu æquitatis cerebrinæ.

§. IV. *Iudicialis* appellatio vero est, quæ interponitur a *sententia* iudicis inferioris, tam *interlocutoria* quam *definitiua*. Ab vtraque enim hoc iure & in praxi permissa est appellatio *c. 1. 12. X. h. t. clem. 5. h. t.* Sed in appellatione ab *interlocutoria* hæc singularia sunt: (I) quod in scriptis facienda sit *c. 1. h. t. in 6.* (II) causa grauaminis exprimi debeat *c. 59. X. h. t.* (III) quod appellatio ex actis prioris instantiæ iustificari debeat. Valens. *h. t. §. 9.* Concernit enim hæc appellatio punctum incidentem, vbi summarie procedendum, cum interim suspendatur causæ principalis decisio *c. 10. X. de appell.* imo iudex talem sententiam retractare potest, *c. 60. X. h. t.* adeoque de causa appellationis plene informandus est. Cum vero in appellatione a sententia definitiua hæc cessent, eadem quoq; hic non requiruntur. Quamuis vero Concil. Trident., prout *tit. antec.* §. 2. monitum est, non ab omni interlocutoria appellationem admittat, in foris tamen nostris iuri antiquo canonico statur.

§. V. Appellant grauati, etiamsi delegatio facta fuerit cum clausula, *remota appellatio-*

latione, quatenus sententia manifestam iniquitatem continet *c. 9. X. de sent. & re iudic.* (vid. tamen *c. 53. X. b. t.*) alioquin hoc posteriori casu appellatio cessat. Potest vero sub hac clausula tantum delegare Pontifex vel Princeps, cui arbitrium circa leges competit; non delegatus eius *c. 27. X. de offic. & pot. iudic. deleg.* Mev. *P. 3. decis.* 187. nec iudex inferior; imo nec hæc clausula impedit, quo minus commissarius vt suspectus recusari *c. 36. X. b. t.* vel remedium *supplicationis* adhiberi, vel restitutio in integrum peti possit. Gail. *1. Obs. 33. n. 5.*

§. VI. Præterea ab appellatione excluduntur *indigni*, quales sunt (1) notorii delinquentes *c. 13. seqq. X. b. t. c.* 18. *de hæret. in* 6. (2) qui non deferunt appellationi aduersarii, sed contra eam quid attentant *c. 23. c. 42. X. b. t.* (3) contumaces in non veniendo. Idem (4) dicendum de *renunciantibus c. 20. 21. X. b. t.* vel facto quouis sententiam approbantibus *c. 20. X. de offic. iud. deleg.*

§. VII. Fundamentum appellationis est *grauamen c. 38. X. b. t.* & quidem præsens & specificum. Generalis appellatio non sufficit *c. 2. X. b. t. c. 18. eod.* nisi ad certam causam restricta fuerit & grauamen futurum probabiliter instet *c. 18. X. b. t. in f.* quorsum pertinet, si quis appellat a reiectionis reiectione & omni futuro grauami-

ne. Cessante omni grauamine, appellatio inanis est *c. fin. C. 2. q. 6.*

§. VIII. Admittitur appellatio regulariter in omnibus causis, in quibus quis grauatus est, nec ius canonicum summas non-appellabiles agnoscit. *c. 11. X. h. t.* Reiicitur tamen (I) in notoriis *c. 61. vers. porro h. t.* quando scilicet constat, eam aperte friuolam esse; (II) in causis disciplinaribus *c. 32. X. h. t.* (III) in causis moram non ferentibus, vt in possessorio summariissimo, vt scilicet non habeat effectum suspensiuum *l. vn. C. si in moment. poss. appell.* quoad effectum deuolutivum appellatio permissa est *c. 10. & 15. X. de restit. spol. clem. vn. de seq. clem. vn. de caus. poss. & propriet.* Eadem ratio est appellationis a sententia interdicti *c. 37. X. h. t.* (IV) ab iis quae iuris sunt, veluti a legibus latis *c. 29. X. h. t.* ab executione, nisi modus executionis excedatur *c. 15. in fin. X. de sent. & re iudic.* (V) a causis ecclesiasticis in foris protestantium, ad cameram scilicet, bene tamen ad suprema consistoria vel tribunalia principum. Neque enim Camera de his causis cognoscit.

§. IX. Appellatio facienda est (I) *gradatim c. 66. X. h. t. c. 9. X. de offic. iud. ordin.* interim appellatio *per saltum* non habetur pro deserta, sed remittenda ad intermedium iudicem Mev. *p. 5. Decis. 204.* Hoc iure admissa est appellatio imme-

immediate ad Pontificem vel eius legatum *c. 1. de offic. legat.* (*II*) *ad competentem*, & ita in caussa seculari non appellandum ad Pontificem vel eius nuncios *c. 7. in f. X. h. t.* Postquam itaque Prælati & Episcopi superioritatem territorialem habent, & ita per *officiales* suos ius in secularibus dicunt, ab illis non ad Papam sed ad summa imperii tribunalia appellandum, quamuis prius sæpe tentatum fuit. Vid. *R. I. de anno* 1654. §. 164. *Capit. Iosephi* §. 18. De hac confusione iurisdictionum iam olim conquesti sunt status imperii in *centum Grauaminibus* in comitiis Noricis Oratori Pontificio anno 1523. exhibitis *grauam. IX.* (*III*) *ad Superiorem*. Et sic a delegato Pontificis vel principis ad ipsum delegantem appellatur, *c. 27. X. de offic. & pot. iudic. deleg.* a Consistorio ad principem, a quo dependet, quamuis consistorium in plurimis locis directionem processus retineat Brunn. *de I. E. lib. III. c.* 10. §. 2. Vbi deest superior, appellatio cessat, & ita Pontificii a Papa appellationem illicitam esse iudicant, quamuis Galli sæpe ab eo prouocasse legantur ad concilium generale, vid. Richerius *in histor. concil. lib. IV. p.* 107.

§. X. Ad formalia appellationis imprimis pertinet, *vt debito modo interponatur* & quidem 1) vel *in scriptis* vel *viua voce*, si a sententia definitiua appellatur, vel *ipso facto c.*

9. *h. t.* II) *coram iudice inferiori c. f. X. h. t.* vel si hic copiam sui non fecerit, sufficit coram honestis viris protestationem interponere, expressis causis appellationum, id quod ex natura *protestationis* fluit *c. f. cit.* ibique Gonzalez. III) *intra decem dies c. 15. X. de sent. & re iudic. c. 8. h. t. in 6.* quod tempus de momento in momentum currit scienti.

§. XI. Interposita appellatione, appellans a iudice primæ instantiæ Apostolos petere debet h. e. literas dimissoriales, quibus iudici ad quem appellatio denunciatur, & quidem 1) *intra 30. dies c. 8. h. t. in 6.* alias censetur appellationi renunciasse *clem. 2. h. t.* 2) *instanter & sæpius;* imo sufficit de iure canon. si simul vno contextu eas petierit, *instanter instantius & instantissime clem. 2. h. t.* quæ duo si obseruata fuerint, appellanti haud nocet, si iudex inferior eos debito tempore haud exhibeat *cit. clem.*

§. XII. Apostolis iudex inferior tempus inserere debet, intra quod appellatio apud superiorem introducenda sit; neque enim hic terminus in iure definitus est. *c. 4. 5. 26. X. h. t.* In *R. I. nouiss.* tamen terminus introductioni ad Cameram præscriptus est, qui a iudice prorogari potest. Ipsa introductio fit per exhibitionem supplicationis pro decernendis processibus appellatoriis, citatione, compulsorialibus & inhibitorialibus cum obla-

oblatione ad solennia præstanda. Huic adiungitur libellus, quo facti series vna cum grauaminibus perspicue proponitur, & reformatio prioris sententiæ petitur.

§. XIII. Appellatione hoc modo facta, causa denuo reuoluitur, & aduersarius exceptiones suas proponit, appellans grauamina vlterius iustificat, & probat *c. 70. X. h. t.* & ita nouæ probationes & deductiones admittuntur, & tandem sententia fertur. Et quidem si appellans in probatione defecerit, prior sententia confirmatur & causa remittitur ad iudicem primæ instantiæ *c. 61. in f. h. t.* appellante in expensas condemnato *c. 59. X. h. t.* si autem grauamina debito modo probauit, reformatur sententia, expensæ compensantur, & iudex ad quem sententiam exequitur.]

§. XIV. Operatur appellatio legitime interposita I) vt sententia primæ instantiæ suspendatur; alioquin quicquid a iudice inferiori contra eam fit, pro *attentato* habetur, & statim per mandata S. C. in irritum reuocatur *c. 56. X. h. t.* quod tamen restringendum ad illum articulum, a quo appellatum est. II) vt appellans in alia causa non possit cogi ad respondendum coram iudice inferiore, quia quodammodo suspectus est *c. 6. & 24. X. h. t.* quod tamen cum grano salis accipiendum est. III) vt ceteris litis con-

sor-

ſortibus proſit vnius appellatio, qui communi iure iuuantur, & eandem cauſam eandemque defenſionem habent. *c. 72. X. h. t.* IV) vt iudex inferior, ſi ab interlocutoria appellatum eſt, in cauſa principali tamdiu quieſcere debeat, donec punctus incidens fuerit deciſus *c. X. h. t.*

§. XV. Corruunt tamen hi effectus, ſi appellatio eſt deſerta *c. 45. X. h. t.* vel appellans ei renunciat *expreſſe*, quod facere poteſt re adhuc integra, h. e. quamdiu appellatus haud citatus eſt; alioquin inuito eo renunciatio fieri nequit, adeo, vt renunciatione licet facta, appellatus poſſit eam proſequi *c. 57. X. h. t.* Mev. *p. 5. dec. 215. n. 5.* Sic quoque *tacite* renunciatur appellationi ſi fatalia haud obſeruantur, quo caſu appellans ad refuſionem expenſarum tenetur *c. 26. X. h. t.*

Membrvm XXVI.
DE PROCESSV SVMMARIO.

§. I.

Secundum hactenus dicta inſtruitur proceſſus *ordinarius*. Cum vero in iudiciis eccleſiaſticis vt plurimum *ſummario* agatur *proceſſu*, huius ratio paucis tradenda. Scilicet *ſummarius* dicitur, *quo iudex, omiſſis ſolenni-*

nibus, & quæ litem remorari possunt, de simplici & plano, sola veritate facti inspecta, procedit, vt quam citius lis finiatur. Ratio eius habetur tum quoties *ciuiliter*, tum etiam quoties *criminaliter*, scilicet per viam inquisitionis, agitur *c. 21. & 24. X. de accusat.*

§. II. Causæ, quæ ad summarium processum pertinent, ad has reduci possunt classes. 1) Quædam sunt tales *per se* ex dispositione iuris communis: 2) quædam tales fiunt *ex accidente*, per commissionem principis vel partium conuentionem. Ad primam classem referuntur causæ *publicæ, moram non ferentes, & piæ seu ecclesiasticæ. clem. 2. de iudic.* Causæ clericorum, licet coram consistoriis peragantur, non semper sunt piæ, adeoque non semper summariæ, veluti causæ debitorum. Similiter causæ rusticorum, vbi aduocati desunt, summarie expediuntur, vt & *causæ executiuæ & cambiales.* Ad secundam classem causæ reliquæ referuntur, quarum decisio delegatis est commissa sub clausula: *simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicii, sola veritate facti inspecta &c. clem. sæpe d. V. S.* Quin vero etiam partes per modum *compromissi* in causis ordinariis processum summarium eligere possint, vt iudex illum sequi teneatur, dubium non habet, quod etiam late probauit Brunnem. *in proc. ciuili.* Imo expediret, vt omnes cau-

ſæ ſummariter pertractarentur, docente B. Dn. Strykio *de iudicio princip. ad ſolam facti veritatem.*

§. III. Atque in his cauſis ſummariis ſecundum *clem. ſæpe. de V. S.* ita proceditur; *vt neceſſario non requiratur libellus* (actio in ſcriptis propoſita, ſed qualiscunque propoſitio ſufficiat) *litis conteſtatio* (ſolennis) *non poſtulatur*, (ſed qualiscunque contradictio ſufficiat) *non admittatur exceptio feriarum humanarum, dilationum materia amputetur, lis quantum fieri poteſt, abbrevietur, exceptiones*, (maxime altioris indaginis) *appellationes dilatoriæ & fruſtratoriæ repellantur, partium advocatorum & procuratorum contentiones & iurgia, teſtiumque ſuperflua multitudo refrenentur, probationes tantum neceſſariæ & defenſiones legitimæ admittantur, etiam per poſitiones. Interrogat iudex partes ſiue ad earum inſtantiam ſiue ex officio, vbi hoc æquitas ſuadeat. Sententiam definitiuam quomodocunque publicet, etiam concluſione non* (expreſſe) *facta.*

§. IV. Si tamen in his caſibus proceſſus ordinarius ſeruatur, non contradicentibus partibus, id quod ita geſtum eſt, ſubſiſtit *clem. cit. in f.* Quin quod in curiis Saxonicis proceſſus ſummarii ita plene inſtruantur, vt in paucis ab ordinariis differant. In plurimis locis in his per mandata *cum vel ſine clauſula* proceditur, quemadmodum etiam hic proceſſus diſtinguit *actiones* ſtricte di-

ctas

ctas, & *implorationes officii iudicis,* ſeu *extraordinarias perſecutiones.*

MEMBRUM XXVII.
DE CAVSIS POSSESSORIIS.

§. I.

AD ſummarium proceſſum quoque ſpectant *cauſæ poſſeſſoriæ*, tum quia moram non ferunt, tum quia ſaltim præparant iudicium principale, quæ proinde etiam apud Romanos per interdicta, ſeu extraordinarias actiones expediebantur. Potiſſimum autem circa remedium *retinendæ & recuperandæ poſſeſſionis* ius canonicum quasdam ſpeciales obſeruationes habet, quæ hic tradendæ ſunt.

§. II. Primum eſt, *cauſam poſſeſſionis & proprietatis coram eodem iudice pertractandam eſſe c. 1. X. de cauſ. poſſeſſ.* ob connexitatem, niſi iudex poſſeſſorii ſit inhabilis in petitorio, veluti quod cauſam eccleſiaſticam concernat. *c. ſ. X. de iudic.* Et quamuis Pontificii plures ne quidem poſſeſſorium rei eccleſiaſticæ coram iudice laico inſtitui poſſe contendant, conſtat tamen, quod in poſſeſſorio de nudo facto, *poſſeſſione*, agatur, adeoque iuris eccleſiaſtici nihil admixtum habeat.

§. III. Alterum eſt, *quod hoc iure cauſa*

poſ-

possessionis & proprietatis in vno eodemque iudicio commixtim tractari posset, siue vtraque causa delegatis sit commissa *c. 2. & 3. X. eod.* siue vtrumque remedium in iudicium simul per cumulationem deductum sit *c. 6. X. eod.* quod a ratione iuris ciuilis alienum est. *L. 3. C. de interdict.* Quod tamen intelligendum est, quatenus hæc remedia compatibilia sunt, qualia sunt adipiscendæ & recuperandæ, non *retinendæ*, nisi de rebus incorporalibus agatur, quia etiam hic agere potest in petitorio, qui non possidet *c. 5. X. eod.* E contrario ius ciuile tantum admittit, vt relicto possessorio, institui possit petitorium *l. 12. §. 1. de acquir. vel amitt. possess.* ad quem textum pontifex in *cit. c. 5.* prouocat, quæ tamen pro cumulatione nihil facit. Effectus huius cumulationis est, quod in alterutro iudex possit pronunciare, quod probatum fuit, adeoque si constat de petitorio, illud absorbet possessorium. *c. 6. cit. in f.*

§. IV. Tertium est, quod *si duo contendant de possessione, & eam probent, ille præferendus sit, qui antiquiorem & magis titulatam possessionem demonstrauit*; quia hoc modo alterius possessio præsumitur vitiosa *c. 9. X. de probat.* quod hodie imprimis attenditur, vbi remedium retinendæ possessionis est vel *summarium* vel *ordinarium*.

§. V. Quartum est, *quod exceptio spolii in-*

qui-

quibuscunque causis actori opponi queat c. 1. de restitut. spol. in 6. modo intra 15. dies possit probari *cit. tr.* qui spoliatus ante omnia restituendus, seu actori tamdiu audientia denegatur, donec restitutio fuerit facta. In praxi sufficit, si modo intra 15. dies articuli probatoriales offerantur Carpz. *P. 1. C. 6. def.* 2. Ceterum quis sit effectus huius exceptionis, iam praeoccupaui *tit. de ordin. cognit. vid. c. 2. X. de ordin. cognit.*

§. VI. Quintum est, *quod qui de spolio agit ante omnia sit restituendus*, nulla admissa exceptione, quae petitorium respicit *c. 1. seqq. de restit. spol.* vel delicti commissi *c. 6. X. eod.* vel etiam ipsius spolii antea perpetrati, cum etiam praedo restituendus sit. Aliquando tamen restitutio recte denegatur, si periculum animae, vel vitae in restitutione subsit, *c. 8. & 13. X. eod.* vel turbarum & gravissimi damni, vel si spoliatus possessionis sit incapax *c. 14. X. eod.* vel denique actor consentiat, vt quaestio dominii simul ventiletur, *c. 1. X. eod.* Denique si spolium desit *c. 3. X. h. t. &c.*

§. VII. Denique ipsa actio spolii plura iura singularia ex iure canonico, vel potius eius erronea interpretatione accepit. Scilicet de iure ciuili tantum datur contra spoliatorem, non tertium possessorem; ast de iure Canon. etiam datur contra tertium

possessorem spolii conscium per *c. sæpe 18. X. de restit. spol.* Interpretes vlterius progressi, existimarunt in *c. redintegranda. 3. C. 3. qu.* 1. plura singularia esse introducta, quamvis interdictum *vnde vi* tantum ibidem applicetur ad casum violentæ deiectionis, vti ostendit Ziegler. *diss. ad cit. can. c.* 2. Interim interpretum sententia in praxi obtinuit, adeoque secundum horum mentem hoc remedium hæc singularia habet: 1) *quod detur omni illi, qui quocunque modo possessione iniuste excidit*; etiam per factum iudicis, de facto procedentis *c. 7. X. de restit. spol.* vel si quis spoliatus sit cadavere parochiani sui *c. 5. & 6. X. de sepult.* vel si quis tantum nude detineat, non vero iis, qui facto suo possessionem amiserunt *c. 2. X. de restit. spol.* 2) quod detur aduersus omnem tam b. quam m. f. possessorem, propterea quod in *cit. can.* dicatur, redintegranda esse omnia, quæ vi *maiorum* perdita fuerunt, vbi tamen iuxta Zieglerum legendum esse videtur *violentia maiore*. vid. *dict. diss. c. IV. §. 7.* Alioquin enim Innocentius III. in *c. 18. X. de restit. spol.* nihil noui statuisset. 3) quod etiam propter amissam possessionem mobilium *principaliter detur*, imo etiam *incorporalium*, 4) quod hoc remedium detur ad 30. annos, cum interdictum *vnde vi* alias tantum annale sit.

TIT.

TIT. VI. DE VISITATIONE ECCLESIASTICA.

§. I.

Visitationes ecclesiasticæ admodum necessariæ sunt, vt præcaueatur, ne quid damni capiant ecclesiæ, sed vt pietas promoueatur, & mali mores eradicentur. Aeuo Apostolico hoc officium sibi vindicabant Apostoli, qui tum per se, tum per cooperarios, vt Timotheum, Titum aliosque, ecclesias visitabant; vti ex instructione Pauli, Timotheo & Tito data, apparet. Reliqui presbyteri propriæ ecclesiæ curam gerebant, & quia præterea alias ecclesias sub sua inspectione non habebant, visitatio ecclesiastica, de qua hic agitur, cessabat post Apostolorum excessum. Seculo vero IV. Parochiis institutis, munus visitandi ecclesias parochiales recte sibi Episcopi vindicarunt, quippe cuius inspectioni parochiales ecclesiæ suberant.

§. II. Sed tribus prioribus seculis alia visitatio, *domestica* scilicet, Episcopo & presbyteris demandata erat, quæ hodie fere exoleuit, vt non adeo mirandum sit, quod Autor noster eius plane nullam iniiciat men-

mentionem, quæ tamen cum ex ipso presbyterali munere fluat, in iure ecclesiastico haud negligenda est. Ceterum quod dubitetur, vtrum ministri ecclesiæ ad hanc obstricti sint, apparet ex Fechtii *differt. de visitat. domestica.* qua ita perplexe de hac materia loquitur, vt magis eos ab hac obligatione absolvat, quam ad eam adstringat.

§. III. Scilicet Presbyterorum & Episcoporum munus proprium olim fuit, non tantum ecclesiæ suæ in vniuersum consideratæ curam gerere, sed præsertim etiam *singulorum*, ipsorum Apostolorum exemplo 1 *Theff. II*, 11. *Act. XX*, 20. id quod aliter fieri non potuit, quam per *visitationes domesticas*. Inde enim Ἐπισκοποὶ seu inspectores dicebantur, quod in mores singulorum inspicere, & singulorum curam gerere deberent. Quod eo tempore adeo necessarium erat, vt imprimis hoc pietatis officium erga pauperes & viduas exercerent Justin. *in Apol. II. in f.* multo magis curam singulorum intuitu pietatis haberent, exemplo Ioannis, de quo Euseb. *lib. III. H. E. c.* 23. præsertim eorum, quos baptizauerant, vti ostendit Hieronymus relatus a Gratiano in *c.* 5. *D.* 95. Neque enim credebant se suo satis fecisse officio, si publice docerent, conciones haberent, & sacra administrarent, quin potius hoc præcipuum munus suum esse iudicabant:

Erant

Erant enim presbyteri duplicis generis, quidam docebant, quidam non docebant, *1 Tim. V, 17.* ex quo apparet, proprium & essentiale munus presbyterorum non fuisse *docere*, sed *gregem pascere & inspicere, Act. XX, 28.* h. e. intendere toti gregi, et inspectionem in singulorum mores & vitam habere, vid. *diss. VI. ad Plin. secund. §. 41. p. 371. seq.* quod necessario per *visitationem domesticam* fieri debuit.

§. IV. Sed aucto fidelium numero, & potestate Episcoporum presbyterorumque in altum evecta, cura hæc specialis adeo abiecta est, vt de necessitate *visitationis domesticæ* plerique parum amplius solliciti fuerint. Et tamen cura animarum singulis est commissa, imo ideo tot ecclesiæ particulares institutæ esse leguntur, vt quis eo rectius curam singulorum habere posset. Ex quo fundamento Brunnemannus *lib. I. c. 6. m.* 1. ibique B. Dn. Strykius vt & Seckendorffius *in stat. christian. lib. III. c.* 13. §. 3. *in addit.* necessitatem huius visitationis omnino agnouerunt.

§. V. Debebat hæc *visitatio domestica* fundamentum esse *visitationis ecclesiasticæ*. Cum enim secundum §. *VI.* auctoris nostri pastores *de vita & moribus singulorum* in ipsa visitatione rationes reddere teneantur, id aliter facere nequeunt, quam si ipsimet

 se-

ſedulo *viſitationem domeſticam* inſtituant.

TIT. VII.
DE EPISCOPIS ET CLERICIS.

IN hoc capite de Epiſcopis & clericis pleraque nimis conciſe pertractantur, vnde nonnulla plenius explicanda ſunt.

MEMBRVM I.
DE POTESTATE ET IVRE EPISCOPORVM.

§. I.

AGitur §. *VI.* de Epiſcoporum poteſtate. Hæc olim fere eadem fuit, quæ hodie noſtrorum Superintendentium, ſine *imperio* & *iurisdictione*. Sed vtrumque obtinuerunt conniuentia Cæſarum, prætenſo iure clauium aliisque clandeſtinis artibus. Solent vero hodie iura eorum in quatuor claſſes diuidi, quarum mentionem obiter iniicit Autor §. *VI. in not.*

§. II. Prima claſſis habet *iura ordinis*, quæ Epiſcopis ex *conſecratione* ſeu propter *ſacerdotium*

tium competunt, & ab illis tantum exercentur, presbyteris autem denegantur, vt ordinatio clericorum, altarium & ecclesiarum consecratio, benedictio abbatum, inauguratio Regum, confirmatio baptizatorum, confectio chrismatis *c. 4. D. 68.* Communia etiam eis sunt, quæ presbyteris competunt, & sic *actus ministerii sacri* huc pertinent, vt tamen quidam ex his Episcopis proprii sint, quidam cum presbyteris communes.

§. III. Secunda classis habet *iura iurisdictionis ecclesiasticæ*, quæ vel vniuersim iura circa Sacra complectuntur, vel inspecie denotant *ius iudicandi de caussis ecclesiasticis & clericis*, & ita continent censuras ecclesiasticas, iurisdictionem stricte dictam, leges condendi potestatem, absoluendi a censuris, & omnia quæ per modum *iudicii* & *imperii* peragi debent.

§. IV. Tertiæ classi adscribitur *lex Dioecesana c. 18. de offic. iudic. ordin.* quæ reliquam potestatem circa sacra cum omnibus commodis complectitur, & ad dioecesin est restricta, quo sensu etiam statibus imperii superioritas *territorialis* adscribi solet. Huc referunt canonicam obedientiam & subiectionem, ius in bona ecclesiastica, pias caussas & monasteria, inspectionem in scholas & academias, ius conuocandi synodos, ex-

actionem cathedralici, ius visitandi, charitatiuum subsidium exigendi &c.

§. V. Quarta classis habet *iura dignitatis Episcopalis*, quae illis propter singularem praeeminentiam debentur ratione titulorum, proedriae & insignium. Inde Principes ecclesiastici prae secularibus proedriam habent in publicis negotiis Imperii. Atque haec in tribus posterioribus classibus relata iura consequuntur per solam electionem, licet nec confirmatio Papae nec consecratio accesserit.

§. VI. Verum in terris protestantium per I. P. *art. 5.* §. *48.* suspensum est ius Dioecesanum cum tota iurisdictione ecclesiastica *& omnibus suis speciebus* contra A. C. tam principes quam subditos, imo, vt verius dicam, abrogatum, simulq; cautum est, *vt intra terminos territorii cuiusque ius Dioecesanum & iurisdictio ecclesiastica se contineat.* Vnde non ipsa iura sunt sublata, sed episcopis tantum erepta. Concludunt inde communiter, iura episcopalia cum toto iure Dioecesano principibus nostris competere, indeque Carpzovius *lib. 1. Iurispr. consist. def. 2.* existimat, Principes duplicem personam gerere, ecclesiasticam & politicam, esse Episcopos & simul Principes in suo territorio, proinde *Def. 4.* iura episcopalia antea adducta refert, & statibus A. C. attribuit.

§. VII.

§. VII. Ita ergo ſupponit, jurisdictionem eccleſiaſticam & ius Diœceſanum *clericis*, non ſummæ poteſtati in republica competere, vt proinde neceſſe ſit, Principes noſtros in ſortem clericorum coniicere, quod oppido falſum eſt. Ius ſacrum Principi, qua tali, competit, & iniuſte ab Epiſcopis occupatum eſt, quibus nullum *imperium* ex primæua inſtitutione competit. Sublata ergo eorum poteſtate, poſtliminii iure ad principes rediit, quod ipſis, qua talibus, competit, & ita fruſtra diſputatur, an hoc vel illud ius ad I. Diœceſanam, an vero ad jurisdictionem eccleſiaſticam pertineat? Imo cum etiam Papale imperium in territoriis proteſtantium ſublatum ſit, longe plus iuris proteſtantes ſtatus habent, quam olim Epiſcopi, quorum iura præterea inſignem inuoluebant dependentiam, a iure ſacrorum noſtrorum principum longe alienam. Vid. Autor *meditat. ad I. P. art. 5. §. 48. p.* 709.

§. VIII. Neque hæc obſeruatio otioſa eſt. Dependet enim inde quæſtio, an iurisdictio eccleſiaſtica ita principibus propria ſit, vt non poſſit per inueſtituram nobilibus communicari ad exemplum iurisdictionis ſecularis, vel ab illis præſcriptione immemoriali acquiri? quod communiter negant ex erroneo illo principio, quod

iurisdictio ecclesiastica ad ius episcopale pertineat, cuius præter principem nemo alius capax esse possit, cum hæc laicis, h. e. qui non sunt Episcopi, omnino propter inhabilitatem denegata sit. Verum ex ante adducto fundamento quæstio hæc omnino affirmanda est, cum eodem modo & iure ecclesiasticam princeps exerceat iurisdictionem, quo secularem, & sicuti hanc, ita etiam illam conferre potest.

§. IX. Reliquiæ tamen quædam pristini iuris catholicis relictæ sunt in terris protestantium in *cit.* §. *48*, si de consequendis reditibus, censibus, decimis & pensionibus agitur, quatenus anno 1624. in ditionibus statuum notorie in possessione vel quasi iurisdictionis ecclesiasticæ fuerunt.

Membrum II.

De

ELECTIONE EPISCOPORUM HODIERNA.

§. I.

De antiquo more eligendi Episcopos agit Autor §. *VII. seqq.* hodiernum plane amittit, scitu tamen necessarium. Scilicet hodie prælati ad officium & dignitatem ecclesiasticam promouentur, vel per viam

ele-

electionis, quæ *ordinaria*, vel *postulationis*, quæ *extraordinaria*, de qua *tit. sequente*. Minora beneficia per *collationem* deferuntur.

§. II. *ELECTIO* est *canonica personæ idoneæ ad dignitatem ecclesiasticam per vota maiora capitularium vel conuentualium facta vocatio*. In hoc satis differt a *nominatione*, quæ olim Regibus competebat, etiam tunc, vbi electio ab ecclesiis cathedralibus fiebat, de qua vid. Espen. *in iur. eccles. P. I. tit. 13. c. 3.* quæ tamen hodie in Germania incognita est.

§. III. Pertinet electio hodie ad *capitulum* vel *conuentum*, cui prælatus quæritur; neque hoc ius liberum eligendi Papa per Germaniam impedire potest per vsitatas reseruationes, idque vi *concordatorum Germaniæ*, relatorum ab Autore *p. 467.* nisi forsan prælaturæ apud curiam Romanam vacauerint. Sunt etiam præterea iura eligendi & postulandi in omnibus Archiepiscopatibus, Episcopatibus & reliquis fundationibus immediatis confirmata in I. P. *art. 5. §. 16.*

§. IV. Eligunt ergo (I) *qui sunt de capitulo*, h. e. *ecclesiarum cathedralium clerici*, vt dicitur in *c. 3. X. de caus. poss. & propriet.* nec alii admittuntur, nisi consuetudine speciali hoc alicubi introductum fuerit *cit. c. 3.* quod etiam *I. P. art. V. §. 17.* confirmatum, ibi:

&

& quibus id praeterea pariter cum capitulo pro more competit. (II) *quatenus sunt habiles tempore facienda electionis* h. e. qui vocem in capitulo habent, quales non sunt α) qui sacros ordines non susceperunt *clem. 2. de aetat. & qual. & ord. praef.* β) qui suspensi ab officio vel excommunicatione maiori ligati, non minori *c. 39. X. de elect.* γ) qui scienter indignum elegerunt, qui per triennium votum dare nequeunt *c. 43. h. t.* δ) haeretici *c. fin. C. 9. q. 1.* Ne vero impedimentum electoribus postea obiiciatur, solent nuncii Apostolici, qui intersunt electionibus, eos quoad hunc actum absoluere ab omnibus censuris ecclesiasticis. Hodie praeterea in *I. P. art. 5. §. 16.* respiciendum ad loci consuetudines & statuta antiqua, quatenus illa imperii constitutionibus, transactioni Passauiensi, paci religiosae, & imprimis declarationi & transactioni Instrumenti pacis sunt conformia. Praeterea de Archiepiscopatibus & Episcopatibus, qui penes A. C. addictos manent, vel vbi vtraque pars mixta iura habet, cautum est, vt priori casu nihil contineat illi confessioni aduersum, posteriori vero, vt statutis antiquis nihil de nouo admisceatur, quod catholicorum vel A. C. addictorum conscientiam & caussam pro cuiusque parte laedere eorumque ius imminuere possit.

§. V.

§. V. Adeo autem libera electio capitulo in *I. P. art. V.* §. *17.* est conseruata, vt electi in capitulationibus suis spondere debeant, se susceptos ecclesiasticos principatus, dignitates & beneficia nequaquam iure hereditario possessuros, aut id acturos, vt hereditaria fierent. Nec porro ab electionibus excludendi sunt Nobiles patricii, gradibus academicis insigniti, aliaeque personae idoneae, vbi id fundationibus non aduersatur: sunt enim in quibusdam ecclesiis cathedralibus tales fundationes, vbi nemo in numerum canonicorum admittitur, nisi ex antiquo nobili stemmate procreati fuerit, qui proinde vocantur Stifftmäßig.

§. VI. Absentes canonici citandi sunt *c. 42. X. h. t.* nisi valde essent remoti *c. 18. X. h. t.* Qui *per contemtum* non est vocatus, irritare potest electionem. *c. 28. & 36. X. h. t.* Possunt tamen absentes votum suum per procuratores vel plures, qui sint de capitulo, edere *c. 46. h. t. in 6.* sed vt singuli in solidum potestatem habeant, quod etiam in electionibus Caesarum obseruatur. Vid. Dn. Stryk. *Diss. de claus. commiss. c. II. n. 34. seqq.* Praeterea procurator non potest alium suo & alium procuratorio nomine eligere, nisi speciale mandatum habeat *c. 46. cit.*

§. VII.

§. VII. Eliguntur ordinarie, qui sunt de gremio ecclesiæ *c. 13. D. 61.* possunt tamen etiam hodie extranei eligi, imo alicubi consuetudine vel lege publica receptum, vt eligere prælatum teneantur ex gremio alterius ecclesiæ, vel ex familia quadam illustri, quale exemplum est in *I. P. art. XIII.* §. 6. Eiusmodi restricta electio vel potius postulatio est in episcopatibus Naumburgensi & Merseburgensi.

§. VIII. Qualitates plures recensentur a Canonistis in eligendo obseruandæ, quæ tamen rarissime ab iis obseruantur. In compendio has recenset Brunneman. *in iur. eccles. lib. I. c. 5.* §. *12.* ex quibus fere hodie tantum hæ supersunt, ne sint minores 30. annis *c. 1. X. de ætat. & qual.* spurii, beneficia plura curata habeant *c. 54. X. h. t.* irregulares, h. e. inhabiles ad munus ecclesiasticum, vel ob vitium corporis, vel ob commissum homicidium &c. aperte criminosi &c.

§. IX. Facienda demum electio (1) *sede vacante c. 36. de elect.* siue per mortem prælati, siue alio modo, veluti per mutationem religionis propter reseruatum ecclesiasticum in *I. P.* fundatum, adeo vt ne quidem tractatus de futura electione ante mortem Prælati fieri possint. Expectanda quoque est sepultura Prælati *c. 7. D. 79. c.* 36.

36. X. h. t. (II) *intra tres menses* a die vacationis computandos, nisi (α) iustissimum impedimentum adsit, cum tempus hoc currere non possit *c. 41. X. h. t.* & sic interim vocatur *sedes impedita* vid. *Diss. de iure capituli sede impedita.* Vel (β) Pontifex ex iusta causa vlteriorem dilationem eligentibus iniungat. Alias electio ad Pontificem deuoluitur *c. 41. X. h. t.* quod etiam in *concord. nat. German.* confirmatum. In capitulis immediatis, A. C. addictis, cessat ius deuolutionis, neque enim Pontifex illud sibi arrogare potest, cuius iurisdictio est suspensa, neque Imperator, vtpote qui iurisdictionem ecclesiasticam sibi ipsi hoc rerum statu vindicare nequit.

§. X. Antequam electores ad electionem accedant, de *forma electionis* & *capitulationis* solent deliberationes instituere. Est enim triplex ratio electionis (1) per *scrutinium* (2) per *compromissum* (3) *inspirationem. c. 42. X. h. t.* Qui contra has praescriptas formas eligere attentauerunt, ea vice potestate priuantur.

§. XI. Frequentior modus est per *Scrutinium*, vbi iuxta *c. 42. X. h. t.* considerari debet (1) *Scrutatorum electio*, qui vota aliorum excipiant. Horum electio debet fieri α) praesentibus omnibus, qui debent & possunt & volunt commode interesse, β) & quidem

tres

tres eligendi, γ) de collegio, nisi extranei priuilegio vel consuetudine vocem actiuam obtinerent, tunc hi quoque eligere possent Espen *in iur. eccl. P. II. tit.* 21. *c.* 4. §. 13. (II) *Scrutatorum munus*, quod consistit in exquirendis aliorum votis, & quidem *a*) *diligenter*, vnde adhortari debent eligentes, ne indignum eligant: *b*) *Sigillatim*, neque ad votandum admitti debent bini vel terni sed singuli seorsim, vt confusio euitetur, *c*) *secrete*, quod commodius fit, si in schedula votum concipiatur & offeratur, *d*) *ordinate*, vt ante omnia scrutatores vota a se inuicem exigant, antequam reliqui ad votandum admittantur. Solet praeterea ipsi electioni praemitti *missa de Spiritu S.* & *iuramentum electorum.*

§. XII. Vota hoc modo exquisita (III) in Scripturam redigenda sunt, quia ad totum actum electionis adhibentur Notarii, qui super totum electionis actum instrumentum conficiant, & tandem (IV) collatione votorum facta *publicatio* facienda, secundum pluralitatem votorum, vt is electus censeatur, in quem maior & sanior pars consensit *c.* 42. *X. b. t.* Ista publicatio debet fieri (1) mox (2) a scrutatoribus omnibus, vel vno nomine eorum, (3) coram omnibus eligentibus, (4) suppresso eorum nomine, qui

vota

vota dederunt. Hac facta electores amplius variare nequeunt *c. 58. X. h. t.*

§. XIII. Iuxta formam hujus scrutinii, quoque adornata est electio Imperatoris in A. B, quippe quæ etiam peragenda intra tres menses, præmissa Missa de Spiritu S., & præstito ab electoribus juramento. Similiter quæ antea de procuratoribus dicta sunt, hic quoque repetita sunt.

§. XIV. Alter modus eligendi est per *compromissum*, cum eligendi potestas vni vel pluribus, siue de collegio siue extra collegium, committitur, vnanimi omnium consensu: vel vno enim dissentiente, per compromissum electio fieri nequit, cum quod singulos tangit, a singulis quoque approbandum sit *c. 29. de R. I. in 6.* Hi compromissarii formam compromissi ad vnguem seruare debent, qua seruata, compromittentes electum recipere tenentur, alioquin electio est nulla *c. 32. X. h. t.* vtpote si indignum elegerint *c. 37. h. t. in 6.*

§. XV. Denique electio per *inspirationem* dicitur fieri, cum omnes electores, nullo præcedente tractatu, statim in vnum consentiunt *c. 42. X. h. t.* quorsum referunt electionem Ambrosii & Athanasii. vid. *Diss. de iniustit. vocat. fact. ad clam. pop.* §. 22. *seqq.* Huc tamen minime referendam esse volunt electionem, quæ fit ad clamorem populi *c. 2.*

X. h. t. cum non semper vox populi sit vox Dei.

MEMBRUM III.

De

POSTULATIONE.

§. I.

P*OSTULATIO* olim electioni inerat, & ipsam denotabat electionem *c. 11. D. 61.* maxime vbi plebis consensus adhuc in electione desiderabatur. Plebs enim ita saepe *expetebat* sacerdotem *c. 16. D. 61. c. 1. D. 62.* vel *petebat* episcopum *c. 9. D. 65.* vbi simul canon graecus refertur, in quo haec verba occurrunt: *populi congregati postulent eum, quem sibi expetunt.* Sed a temporibus Innocentii III. distinctio demum inuenta est realis inter *electionem* & *postulationem*, qua hodie in fraudem canonum vtuntur.

§. II. Consistit hoc sensu peculiari postulatio in *petitione supplice capituli, ad superiorem directa, vt persona quaedam, in quam consenserunt, per viam dispensationis ad dignitatem ecclesiasticam promoveatur, quae ob impedimentum aliquod canonicum directo eligi nequit.*

§. III. Atque haec, quam descripsimus, dicitur alias *solennis*, in qua requiritur (1) concors capituli petitio. Ergo ante hanc

po-

postulationem fieri debet electio personæ, quam per viam postulationis admitti desiderant ad prælaturam, vbi tamen secundum *c. 40. X. de elect.* distinguitur, vtrum postulatio concurrat cum electione, an non. Prius contingit, si candidati concurrant, quorum alter eligibilis, alter postulabilis est, quo casu hic non aliter præfertur, quam si duplo maiora vota habeat, respectu totius capituli. Posterius vero contingit, si candidati concurrentes omnes sunt postulabiles, quo casu simpliciter vota maiora sufficiunt.

§. IV. (II) *Petitio hæc dirigenda ad superiorem*, qui in defectu canonico dispensare potest, & cum Pontifex confirmationes Episcoporum sibi reseruauerit *in concord. nat. German.*, etiam horum postulatio ad eum dirigenda. Ceterorum prælatorum inferiorum postulatio dirigenda ad Episcopum, quorum confirmatio ad eum spectat. Si Prælati in terris protestantium, per viam postulationis constitui desiderantur, postulatio fit ad ipsum principem. Heber. *Dissert. de postulat. c. V.*

§. V. (III) *Postulatio hæc fit pro admittendo eo, cui obstat defectus canonicus, quo minus directo eligi non possit.* Non quiuis defectus intelligitur, sed *dispensabilis*, seu in quo et solet & potest dispensari, ve uti si

defectus sit in ætate, in illegitimis natalibus, vel quod iam beneficium aliud curatum habeat, vel alii ecclesiæ alligatus sit. &c. Sed non raro quoque ante electionem Pontifex his, qui defectu quodam laborant, solet dare *Decretum elegibilitatis*, quo casu directo eligi possunt.

§. VI. Differt hæc *postulatio* ab electione, quod licet capitulum per vota maiora in aliquem consenserit, imo etiam scrutinium publicauerit, postulato tamen inde nullum ius acquiratur, sed electores adhuc variare possint, quamdiu postulatio superiori nondum insinuata est. Præsentatione superiori facta, electores quidem amplius variare non possunt, superior tamen liberum arbitrium habet, vtrum eam admittere velit nec ne *c.4.X.h.t.* Breuiter confirmatio electionis est *iustitiæ*, sed postulationis admissio est gratiæ, qua demum facta, postulatus ius consequitur.

§. VII. In capitulis protestantium nomen *postulationis* quidem retentum est, sed non res ipsa. Neque enim, qui eligunt, preces ad Papam dirigere tenentur pro admissione postulati in Archiepiscopum, Episcopum aut Prælatum, sed sufficit, si intra annum postulati postulationis suæ fidem fecerint Sacræ Cæsareæ Maiestati, quo casu statim inuestiuntur, vt tamen vltra taxæ ordinariæ sum-

ſummam inſuper eiusdem dimidium pro infeudatione pendant, per *I. P. art. V.* §. 21. In eo tamen differunt ab Epiſcopis catholicis, quod non ſimpliciter, vt hi, vocentur *Epiſcopi*, ſed *Poſtulati in Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates aut Præpoſitos* per *I. P. art. V.* §. 22. Nam etiam ante admiſſionem papalem, is, qui electus eſt, ſolet vocari *poſtulatus in Epiſcopum*; poſt admisſionem autem dicitur ſimpliciter Epiſcopus.

§. VIII. Denique datur etiam poſtulatio *ſimplex* ſeu non ſoleñis, quæ dirigitur ad eum, ſine cuius conſenſu candidatus eligi nequit, non ob aliquem defectum, ſed eius intereſſe, vtpote ſi Monachus eligitur, conſenſus Abbatis impetrandus eſt. Atque hæc præcedere ſolet ipſam electionem, adeoque electione facta adhuc confirmatione Pontificis opus eſt.

MEMBRVM IV.
DE CONFIRMATIONE PRÆLATORVM HODIERNA.

§. I.

ELectus intra menſem aſſenſum electioni præſtare tenetur, alioquin iure ex electione quæſito priuatur *c. 6, & 27. de*

elect. in 6. Neque enim regulariter inuitus cogitur ad consentiendum, quamuis non desint exempla, inuitos etiam quandoque ad dignitatem ecclesiasticam suscipiendam coactos fuisse, de quibus agit Zieglerus *tr. de clerico renitente.*

§. II. Assensu præstito, *confirmatio* electionis petenda erat ab immediato superiori, & sic episcopus electus confirmabatur a Metropolitano, in qua confirmatione inquirebatur, an electio debito modo facta esset, & sic erat simplex *cognitio de facta electione.* Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imper. lib. VI. c. 3. 4. 5.* Sed hodie Episcoporum confirmationes Pontifex sibi vindicauit, modumque earum & formam præscripsit in *c. cupientes 16. de elect. in 6.* Constitutio hæc Nicolai III. confirmata est *in concordat. Nat. Germ.* ab Aut. nostro *p. 469.* adductis, hoc adiecto, quod, si intra tempus præscriptum non fuerint præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint, ipse prouidere, si canonicæ fuerint, eas confirmare velit, nisi ex rationabili & euidenti causa de digniori & vtiliori persona duxerit prouidendum.

§. III. Porro olim Episcopi in ipsa confirmatione non iurabant, sed tantum scripto tradebant professionem fidei. At Gregorius IX. censuit, episcopos suis Metropolitanis in ipsa confirmatione præstare debere iuramentum fidelitatis & obedientiæ ca-

no-

nonicæ, quo ipſo factum eſt, vt poſtquam Pontifex omnes confirmationes ſibi vindicauit, ei quoque iuramentum præſtari debeat.

§. IV. Fit confirmatio præcedente debita cauſæ cognitione, adeoque generaliter citandi ſunt in eccleſia, in qua electio facta eſt, quorum intereſt *c. f. de elect. in 6.* Subinde quoque iuxta *Concil. Trident. Seſſ. 24. de reform. c. 1.* neceſſe eſt, vt plena inſtructio de electione in inſtrumentum publicum, redigatur, & cum profesſione fidei ab electo facta quamprimum ad Romanum Pontificem transmittatur. Hæc teſtimonia & inſtructiones transmiſſæ, per Cardinalem *relatorem*, qui vtplurimum *protector* illius regni eſt, adiunctis tribus aliis, ſedulo examinantur, & tandem relatio fit in conſiſtorio Pontificis, & ipſa Pontificis approbatio ſequitur, Bullis conſuetis explicata.

§. V. Tribuit hæc confirmatio poteſtatem exercendi iuriſdictionem eccleſiaſticam, cum omnibus ſuis ſpeciebus, exceptis ordinis iuribus. Ante illam adminiſtrationi eius ſeſe ingerere non debet *c. 17. de elect. c. 44. eod.* niſi valde remoti ſint, ſeu extra Italiam conſtituti *c. 44. X. h. t.* & ita quoque Episcopi Germaniæ poſt electionem ſtatim iuriſdictionalia exercent in ſuis diœceſibus, ante omnem Pontificis confirmationem,

imo & iura territorialia, quæque inde dependent. Proinde ſtatim iure ſesſionis & ſuffragii in comitiis gaudent, & Archiofficia quoque expediunt, non tamen abſolute *Epiſcopi* ſed *electi epiſcopi* dici ſolent. Fagnanus ad *c. 7. X. de reſtript.*

§. VI. Epiſcopi A. C. addicti in eo differunt ab Epiſcopis catholicis:(I) quod confirmatione nulla indigeant, ſed tantum intra annum S. Cæſareæ Maieſtati fidem ſuæ electionis facere debeant (II) quod proinde vocentur *electi in Epiſcopos*, (III) quod in comitiis ſesſionem in ſcamno inter eccleſiaſticos & ſeculares intermedio & transuerſo capiant per *I. P. art. V. §. 21. & 22.* (IV) quod haud conſecrentur, & ita quoque illa, quæ ordinis ſunt, non exerceant. Confirmant quoque Principes A. C. addicti Prælatos electos in ſuis territoriis, & ad alia beneficia eccleſiaſtica promotos, quod non adeo mirandum, cum etiam Duces Pomeraniæ olim omni tempore Epiſcopos Caminienſes confirmaſſe legantur.

MEMBRVM V.
De
CONSECRATIONE.

§. I.

QVia olim proprium Episcopi munus erat, actus ad ministerium divinum pertinentes peragere, inde statim quoque ordinabantur per impositionem manuum, præsentibus comprouincialibus episcopis. Postquam vero hi, neglecto sacro officio, tantum iurisdictionalia exercuere, inde *consecratio* sæpe diu dilata fuit, & adhuc hodie differtur, absque ea tamen, quæ *ordinis* sunt peragere nequeunt *c. 4. X. de translat. Episcop.* Sic licet Archiepiscopus Moguntinus post electionem actum electionis imperatoriæ dirigere queat, coronationem tamen electi imperatoris aliter peragere nequit, nisi ipse consecratus sit.

§. II. In oriente consecratio episcoporum ad metropolitanos, horum vero ad Patriarchos spectabat; sed in occidente metropolitanorum ordinatio ad Pontificem non spectat, nisi tantum eorum, qui Diœceseos vrbicariæ finibus continentur. Marca *de C. S. & Imper. lib. VI. c. 4.* Episcopi ergo suffraganei a suis Archiepiscopis in ecclesia, ad quam promoti fuerunt, aut in prouincia,

& quidem intra tres menses, a data confirmatione consecrantur. Concil. Trid. *Sess. 23. de reform. c. 2.* praestito solenni iuramento, de quo plenius disserit Espen *in iur. eccles. P. I. tit. 15. c. 2.*, quamuis hoc olim reprobauerit Leo *in c. 3. X. de maior. & obed.* Conf. Gonzalez Tellez ad *c. 4. X. de elect. n. 26.*

§. III. Olim rit9 consecrationis erat simplicissimus, & potissimum impositione manus absoluebatur. Sed paulatim plures ritus & solennia addita sunt, quae fusius referunt & explicant Durandus *in rituali div. offic.* & Espen *cit. l. c. 3.* Huic consecrationi non tantum hunc effectum tribuunt, vt illa, quae sunt ordinis, consequatur, sed etiam vt iam matrimonium cum ecclesia *consummatum* sit, quod electione *initiatum*; & confirmatione demum *ratum* dicitur *c. 4. X. de translat. Episc.* per quod nexu indissolubili conglutinatur cum ecclesia sua, per Pontificem demum dissolvendo.

TIT. IIX.
DE
PRESBYTERIS.

§. I.

HOdie quidem vna eademque est ratio Presbyterorum. Sed olim *Presbyteri* erant

erant duplicis generis, quidam simul docebant, quidam non *1 Tim. V, 17.* quod indicium præbet, proprium eorum munus non constitisse in docendo, sicuti quoque Doctores non statim erant Presbyteri; plures enim in ecclesiis docebant, qui consessui Presbyterorum adscripti non erant. Commune omnium officium erat, (1) *intendere gregi*, vt iuxta præceptum Salvatoris nostri vita ab vnoquouis institueretur, *Act. XX, 28.* (2) *curam habere pauperum & viduarum.* Iustin. *Martyr. Apol. II.* (3) *dirigere illa, quæ in cœtu fidelium fiebant*, & inde quoque administrationi sacrorum præerant. Sed hodie præcipuum eorum munus consistere aiunt in prædicatione verbi diuini. Voetius *Polit. eccles. P. 2. lib. 2. tr. 3. c. 3. §. 4.*

§. II. Ex quo fluit, residentiam seu perpetuam præsentiam omnibus Presbyteris esse necessariam, & munus hoc per vicarios exerceri non posse. Ast de iure canonico residendi necessitas multis ex causis relaxatur, & vicarii quoque non adeo incogniti sunt, vtut in antiquis canonibus vtrumque prohibitum sit. Quin & fugere ministro ecclesiæ ob metum publicum haud permissum videtur, nisi malum imminens vnice eius personam petat; quamuis etiam Carpzov. *lib. 1. I. E. def. 2.* suo modo excipiat casum pestis, quod declarat Brunnem.

nem. in *I. Eccl. lib.* 1. *c.* 6. *m.* 10. §. 12. ibique Dn. Stryk.

§. III. Quæ cum ita ſint, facile apparet, noſtros miniſtros magis *Doctores* & *Miniſtros* quam *Presbyteros* vocari poſſe, quia primarium eorum munus in *concionando* & *docendo* conſiſtit, quod olim *doctorum*, qua talium, proprium erat. Conf. Gisb. Voet. *p.* 2. *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 4. Sunt adhuc in Belgio *Presbyteri* ſeu *ſeniores*, diſtincti a *doctoribus*, de quibus Voetius *cit. l.* qui presbyteros primævos *quodammodo* referunt, quod tamen admittere non vult Campegius Vitringa *de Synagoga vet. lib. II. c.* 2. *p.* 482. *ſeqq.*

§. IV. Quemadmodum vero olim Presbyterorum conſeſſus erat in ſingulis eccleſiis, teſte Tertull. *c. VII. de exhort. caſtit.* ita quoque in noſtris eccleſiis miniſtri eccleſiarum vnius civitatis vnum conſtituunt collegium ſeu *miniſterium*, qui in commune conſulunt eccleſiæ, conuentus ad conuocationem Senioris ſeu Paſtoris primarii inſtituunt, publicis ſcandalis emendandis incumbunt, & quibus ipſimet impares ſunt, ad conſiſtorium referunt, Brunnem. *in Iur. eccleſ. lib.* 1. *c.* 6. *m.* 9. §. 5. *ſeq.* cum iurisdictionem proprie dictam nullam habeant. Id. *lib. III. c.* 1. §. 34.

§. V. Addam, quæ præterea ius canonicum de *miniſterio* adfert. (I) Non inique cen-

censet, in honorem ministerii plura esse dissimulanda *c. 8. D. 96. c. 12. C. 2. q. 7.* & ita næui eius prudenter sunt emendandi. De *conservanda dignitate ministerii* pluribus agit Gisb. Voetius de *polit. eccl. P. 2. lib. 2. tr. 1. c. 9. p. 304. seqq.* (II) ministerio huic cohærere efficaciam Spiritus S. statuit, adeoque etiam Spiritum Sanctum operari per impium ministerium *c. 98. in f. C. 1. q. 1. c. 30. sqq. C. 1. q. 1. c. 66. C. 1. q. 1.* modo sit intra ecclesiam *c. 58. C. 1. q. 1. c. 84. C. 1. q. 1.* adeoque ministerio, quod extra ecclesiam Catholicam est seu Pontificiam, omnem efficaciam abiudicant, ex vulgato asserto, quod extra ecclesiam non sit salus, nec Spiritus S. efficacia. Augustinum tamen in eadem sententia non perstitisse, apparet ex *c. 97. C. 1. q. 1.* Ita mirifice confundunt ecclesiam *internam* & *externam*.

TIT. IX.
DE DIACONIS.

§. I.

Autor ex communi sententia Diaconorum originem repetit ex *Act. VI.* quæ adeo inueterata est, vt concilia quoque idem doceant & Scriptores ecclesiastici repetant, Euseb. *lib. II. H. E. c. 1.* Patres tamen in Concil. Constantinopolitano, in Trullo habito *c. 16.* de eo dubitarunt, quorum

rum sententiam etiam sequitur Vitringa *de Synag. Vet. lib. III. P. 2. c. 5. p. 924.*, qui hos septemuiros, quorum *Act. VI.* fit mentio, tantum electos fuisse censet ad munus aliquod *temporarium* & *extraordinarium*.

§. II. Scilicet ipse contextus docet, electos fuisse hos septemuiros ad *ministerium quotidianum*, quod in alendis pauperibus ex bonis communibus consistebat, quae cura antea Apostolis incumbebat. At vero Diaconi huic muneri non praeerant, sed potius ipsi Presbyteri, *Act. XI. 29. 30.* qui hoc intuitu dicuntur a Iustino Martyre in *Apol. II. in f. Indigentium omnium curatores*. Adeoque *cit. cap. VI.* hos potius electos esse quam Diaconos, credibile est.

§. III. In Synagogis Iudaeorum *ministri* tales satis noti erant, & quia ecclesiae Christianorum ad imaginem Synagogarum conditae sunt, inde prono alueo fluit, eos in ecclesiis constitutos fuisse ex institutis Iudaicis; adeoque & collegio Presbyterorum & ecclesiae inseruiebant. *c. 17. D. 93.* *Leuitarum* nomen incognitum erat, quia ipsum *Sacerdotium* nondum receptum erat. Hoc vero Episcopis & Presbyteris applicato, cum *Leuitis* comparati, & iura Leuitarum iis applicata sunt, & hocmodo *ordinibus sacris* adscribi coeperunt.

TIT. X.

TIT. X.
DE CLERICIS MINORVM ORDINVM.

§. I.

Clericorum numerus præter necessitatem multiplicatus est, cum omnia horum, qui in *minoribus ordinibus* constituti sunt, officia ita sint comparata, vt ab vno commode administrari possint. Vnde horum omnium partes in ecclesiis protestantium sustinent *æditui* vel *ecclesiarum custodes*, quamvis in nonnullis locis ab his adhuc distinguantur *Ostiarii*, qui claudendis ianuis ecclesiæ, purgando templo & campanis sonandis præsunt, vocanturque Kürch-Hüter/ Glöckner.

§. II. Vtut vero secundum ius Canonicum ostiarii, custodes & similes *clericorum* ordini adscribantur, posset tamen dubitari, an idem de ecclesiis protestantium quoque dicendum sit, quia cum ministris ecclesiæ seu pastoribus nullo modo comparari queunt, qui proprie hoc nomine venire videntur. Ast cum etiam suo modo ecclesiis inseruiant, & clericorum appellatio omnibus his, qui ecclesiæ inseruiunt, competat, æditui quoque imo & organici huc referun-

runtur Carpz. *P. 1. I. E. Def. 75.* Mev. *P. 7. Decis. 27. n. 3.* quo posito etiam immunitates & iura clericorum iis denegari non debent, sed consistorio æque subsunt, vt pastores cum tota familia. Mev. *cit. l.* Carpz. *P. 3. I. E. Def. 6.*

§. III. Constituuntur Custodes in plurimis locis ab ipsis Pastoribus. Alicubi a *Patronis* cum præscitu Pastoris, & a consistorio confirmantis Carpz. *P. 1. I. E. Def. 79.* de quo Autor *lib. I. tit. 16. in f.* agit. Patrono enim non est integrum, custodes recipere sine Consistorii confirmatione, aut eos deponere, cum vtrumque iurisdictionis ecclesiasticæ actus sit Mev. *P. 7. Decis. 27.*

§. IV. Custodis officium est, ordinare decenter baptisterium, præparare necessaria ad celebrationem Eucharistiæ, præcentoris vices obire, si alii cantores desunt, sacristæ munia implere, comitari pastorem, sacra peragentem, eique inseruire &c. Plura quoque, quæ olim Diaconis incumbebant, eis commissa sunt, veluti vt publice legant in ecclesia, assistant Pastori, sacram cœnam peragenti &c.

§. V. Quamuis vero Pastorum viduæ vbique fere gaudeant anno gratiæ, custodum viduæ & liberi tamen hoc non gaudent, cum tantum fauorem pro se non habeant, vti Pastores, nisi ordinationibus ecclesiasticis

fticis hoc ipsis specialiter concessum fuerit, vti de Ducatu Magdeburgico constat.

TIT. XI. DE ABBATIBVS ET MONACHIS.

§. I.

DE *ABBATIBVS* & *MONACHIS* pro instituti ratione satis prolixe agit Autor, pauca tamen, quæ deesse videntur, iis addam. Abbates in Germania sunt vel *immediati* vel *mediati*. Illi dicuntur duobus modis: (I) *ratione exemtionis*, quod immediate subsint Pontifici Romano, (II) *ratione territorii*, quod immediatum in imperio est, & ita superiorem præter Cæsarem non habent, siue sint catholici siue protestantes, quod etiam de Abbatissis dicendum. Hi episcopis in multis æquiparantur, propriam suam Diœcesin habent, iurisdictionem episcopalem quodammodo exercent tanquam *ordinarii*, imo præterea *ex priuilegio Pontificis* vsum Pontificalium habent, h. e. vtuntur *mitra annulo*, & *Sandaliis*, vnde etiam *infulati* dicuntur. Tamburinus *de Iur. Abbat. Tom. I. Disp.* 21. *q.* 1. Atque hi primam tonsuram & ordines minores conferunt *c.* 3. *de priuil. in* 6.

§. II. In imperio etiam præfulgent dignitate singulari, vocanturq; Ihre Fürstl. Gnaden

dem, & in Comitiis sessionem in scamno Principum ecclesiasticorum post Episcopos habent, vt Abbas Fuldensis, Augustæ Archicancellarius, & primas per Germaniam & Galliam, Campidunensis, Augustæ Archi-mareschallus, Præpositus Elvangensis, Corbeiensis &c. Sed etiam Abbatissæ quædam similem prærogatiuam habent, propriumque territorium, votum quoque & sessionem in Comitiis exercent post Prælatos. Sic Rhenensibus assident Essensis, Buchauiensis, Quedlinburgensis, Andlauiensis, Heruordiensis, Gernrodensis &c.

§. III. Et quidem cum quædam Abbatiæ & præpositurae immediatæ A. C. addictæ sint, cautum est in *I. P. art. V.* §. 14. quod in hoc diiudicando vnice respiciendum sit ad terminum *anni 1624, d. 1. Ian.* & Prælati vocari debeant, *electi in Abbates & Præpositos.* In hoc porro conditio Abbatissarum, A. C. addictarum, melior est, quod licite nubere possint, nec hoc facto resignare teneantur, cum nullo voto castitatis sint alligatæ, prout Thulemarius peculiari scripto German. ostendit.

§. IV. *Mediati* vero dicuntur, qui domino territorii subiacent, quales tum apud Catholicos tum apud Protestantes habentur. Sic in Austriacis & Bauaricis ditionibus multi sunt Abbates, qui statuum prouincia-

cialium loco & iure per omnia habentur. De his itidem cautum in *I. P. art. V.* §. 25. vt ad terminum prædictum vnice respici debeat, & A. C. addicti monasteria eodem modo possideant, prout anno 1624. possederunt. Vnde in terris protestantium dantur Abbates seu Prælati catholici, & A. C. addicti: qui *eliguntur* a conuentualibus, & *confirmantur* a Domino territorii, vel *admittuntur*, si per viam postulationis electi fuerint vid. *I. P. art. V.* §. 26. Olim ab Episcopis confirmabantur, quibus sublatis, ius confirmandi Abbates, etiam catholicos, Domino territorii competit.

§. V. Cum itaque ex his appareat, *Abbatis* nomen dignitatem non minimam ecclesiasticam inuoluere, inde quidam, studium humilitatis præ se ferentes, nouos ordines fundarunt, iisq; præfectos humiliore nomine *Guardianorum, Priorum*, &c. insigniuerunt, vt Dominicani, Franciscani, &c.

§. VI. Sed circa hæc nomina distinctione opus est. In Monasteriis, vbi Abbates sunt, vicariatum eorum gerunt *Præpositi* siue *Priores claustrales c. 9. X. de V. S.* qui in quibusdam congregationibus a proprio Abbate, in nonnullis vero a capitulo & Superioribus eliguntur. Tamburinus *de iure Abbat. T. 3. Disp. 2. qu. 4. n. 1.* & sic curam gerunt monasterii post Abbatem. Espen. *in iur. eccl. P. 1. tit. 21. c. 2. §. 1. seqq.* His quodam-

 modo

modo similes sunt Priores *obedientiarii*, qui præsunt *obedientiis*, quæ sunt cellæ vel monasteriola, quæ a monasterio principali dependent, in quibus pauciores Monachi sub Priore obedientiario viuunt. Vid. *Carol* du Fresne *in Gloſſar. voc. obedientia.* Tales cellas plures sæpe habuit monasterium, vti de Cluniacensi monasterio constat, quod 200. habuerit. Anton Matthæi *de nobil. lib. II. c. 25. p. 452.* Inde quoque orta distinctio inter Monachos *claustrales* & *obedientiarios*.

§. VII. A *Prioribus claustralibus* distinguunt *Priores conuentuales*, qui in suis monasteriis ex instituto ordinis proprio sunt loco Abbatum, vti apud Dominicanos. Similiter Præmonstratenses suos superiores vocant *Præpositos*, & inde *præpositura* etiam dignitas dicitur, sicuti *Abbatia*.

§. VIII. Congregatio Monachorum in monasteriis *conuentus* dicitur, inde Monachi *conuentuales* & *ecclesiæ conuentuales* dicuntur. Matthæi *de nobil. p. 553.* quæ denominatio a Protestantibus tantum retinetur, cum in nostris monasteriis proprie dictos monachos non habeamus. Quamuis vero Catholicis alias permissum sit, alios religiosorum ordines in suis monasteriis introducere, hæc tamen libertas suo modo iis ademta est in *I. P. art. V.* §. *26.* quoad ea monasteria, quæ

quæ in territoriis Proteſtantium *anno 1624. d. 1. Ian.* poſſederunt.

§. IX. Qui admitti ad monachatum deſiderant, per annum, quo in Nouitiatu viuunt, probandi ſunt, eisque præeſt *Magiſter Nouitiorum*, qui eos inſtruit in vita & moribus monaſticis. Ante completum probationis annum profesſio edita eſt ipſo iure nulla, per Concil. Trident. *Seſſ. 25. de regular. c. 15.* quo correctum eſt *c. 2. & 3. de regular. in 6.* quia intra hoc tempus libere propoſitum vitæ monaſticæ deſerere poſſunt.

§. X. Ante profesſionem Nouitii adhuc libere diſponere poſſunt de bonis ſuis. Ne vero Nouitii nimis præcipitanter de bonis ſuis inter viuos disponant, & ita poſtea propoſitum vitæ monaſticæ deſerere impediantur, cautum eſt in Concil. Trident. *Seſſ. 25. de regular. c. 16.* ne talis renunciatio vel donatio fiat, niſi intra duos menſes proximos ante profesſionem, & quidem cum licentia Epiſcopi; imo ne ita facta effectum ſortiatur, iuramento licet confirmata, niſi ſecuta profesſione.

§. XI. Denique notandum, eſſe etiam fundationes liberas ſeculares, freye weltl. Stiffter/ vbi virgines aluntur, ſub inſpectione Abbatiſſæ, quæ voto caſtitatis haud adſtringuntur, ſed conuentum relinquere & nubere poſſunt, ſola Abbatiſſa excepta.

Huiusmodi monasteria duo sunt Ratisbonæ, das Obermünster und das Niedermünster. Ipsæ Abbatissæ principali dignitate gaudent, & in Comitiis imperii quoque votum & sessionem habent. Idem quoque dicendum de monasterio Lindauiensi.

Tit. XII.

De SACRIS ORDINIBVS EQVESTRIBVS.

§. I.

QVemadmodum hi ordines potissimum *militiæ gratia* coaluerunt, ita quoque, prout res bellica postulauit, pluribus instructi fuerunt officialibus, de quibus vid. Europ. Herold *P. 1. p. 334. seqq.* Superstitio præterea insignia eis peperit bona, eodem modo, quo monasteriis, postquam hisce ordinibus adscripti religiosam vitam degere videbantur.

§. II. Hæc bona dispersa sunt per varias prouincias, inde quoque iuxta prouincias, quas *Balivias* vocant, ea distinxerunt. *Balivia* enim idem est quod *præfectura* vid. Matthæi *de nobil. p. 1092.* Sic ordo Teutonicus habuit die Balley Lothringen/ Burgund/ Elsaß/ Coblentz/ Oesterreich/ Francken/

Tyrol/

Tyrol/ Hessen/ Utrecht/ Thüringen/ Westphalen und Sachsen. Hisce præsunt *commendatores prouinciales* die Land-Comther/ qui vices Magistri ordinis in prouincia, seu Baliuia gerunt, sub quibus sunt *simplices commendatores*, die schlechten Comther/ forsan a *commendando* dicti, qui terminus rei militari proprius est, non a *commeatu*, vt Autor existimat.

§. III. Ipsi fratres ordini adscripti sunt, vel *religiosi* vel *seculares*. Ex illis quidam *militiæ* operam dederunt, quidam *sacris*, vt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi. Anton. Matthæi *de nobilit. lib. IV. c. 14. p. 993.* Equites ipsi horis canonicis non adstringuntur, vti Presbyteri ordinis, sed loco earum certas preces quotidie dicere iussi sunt. Statuta ordinis habet Europ. Herold *P. 1. p. 335.* Fratres *religiosi* præterea ad instar monachorum tria vota emittunt, & sub regula Augustini viuunt, adeoque ad seculum reuerti prohibentur ad instar Monachorum. Matthæi *cit. l. p. 994.* Clerici vero ad Parochias etiam admissi, & sacris præsunt. Id. *cit. l.*

§. IV. Ipsi ordines immediate Papæ subsunt, & ita quoque exemti sunt a iurisdictione Episcoporum, vti ostendit Matthæi *cit. l. p. 999.* ex charta Innocentii III. Sed reformatione in Germania secuta, commen-

mendatores cum ipsis commendaturis, quæ in terris protestantium reperiuntur, Principibus protestantibus subesse cœperunt, suffragante I. P. *art. V. §. 14.* vbi inter *bona ecclesiastica immediata* etiam *Baliuiæ* recensentur, & terminus *anni* 1624. *d.* 1. *Ian.* iis quoque præscribitur. Conf. *art. V. §. 25.*

§. V. Cum ergo bona hisce ordinibus destinata inter ecclesiastica referantur, vti diximus; imo commendaturæ naturam beneficiorum ecclesiasticorum habeant, omnino quoque iura, quæ circa huiusmodi bona in genere obtinent, his quoque applicari, eaque non aliter alienari possunt, quam si consuetæ solennitates interuenerint, & cum consensu capitulari alienata fuerint.

§. VI. Constituunt enim in singulis Baliviis Commendatores capitulum, sub *commendatore prouinciali*, dem Land-Comthur, quo decedente, penes capitulum interim iurisdictio ecclesiastica residet, quod etiam eligit commendatorem prouincialem, eodem modo, quo alii Prælati eliguntur. Magnum ordinis magistrum eligunt *commendatores prouinciales*, qui itidem inter se capitulum constituunt, & in sede ordinaria Magistri ordinis conueniunt. Sic quoque in singulis Baliuiis certus locus capitulo destinatus, quo de causis maioris momen-

menti deliberationes instituuntur, vbi scilicet commendator prouincialis resi-det.

TIT. XIII.

DE SCHOLIS ET VNIVERSI-TATIBVS.

§. I.

CVm Scholæ & Academiæ itidem sint *societates* quædam externæ, inde dispu-tari solet, vtrum sint ad corpora *ecclesiastica*, an *profana* referendæ? Nec hæc quæstio est de lana caprina, cum ex statu collegiorum iura æstimanda sint. Curia Pauiensis cen-suit, esse secularia collegia; alii ad corpora ecclesiastica eas retulerunt. Limneus *in iur. publ. lib. VIII. c. 1. n. 47.* Alii denique mixturam quandam in iis deprehendi iu-dicarunt.

§. II. Equidem Imperatores *ius erigendi Academias* hactenus exercuere: ast Ponti-fex concursum prætendit cum Imperatore in erigendis Academiis, nec desunt exem-pla Academiarum a Papa erectarum. Inde auctoritate Imperatorum & Paparum gra-dus Academici in Academiis Catholicis conferuntur, qui vices suas in concilio Ba-

ſileenſi & Ferrarienſi Epiſcopis comiſerunt, eosq; cancellarios Academiarum conſtituerunt, adeo vt Academiæ ab hoc tempore cathedris Epiſcopatuum incorporatæ fuerint. Linck. *de iur. Epiſc. c. X. n. 49. ſeqq.* Hoc intuitu cura Academiarum & Scholarum dicitur, *iuris Epiſcopalis* & ad *Legem Diœceſanam* refertur. Carpz. *P. 1. Iurisprud. Conſiſt. lib. I. Def. 8. & 9.*

§. III. Accedit præterea, quod Scholæ in monaſteriis & collegiis canonicorum habitæ fuerint, Ziegler *de Epiſc. lib. III. c. 23. §. 5. ſeqq.* ita vt a clericis diſcipuli inſtituerentur. Quo ipſo ſcholæ ad *corpora eccleſiaſtica* in plerisque relatæ fuerunt, id quod ex multis adhuc documentis perſpicuum eſt. Sic Academiarum conſiſtoria ad formam conſiſtoriorum Epiſcopalium ſunt adornata, Academiæ & Scholæ eccleſiarum & piorum corporum iura habent Carpz. *P. III. eccleſ. Def. 12. n. 7.* Vniuerſitates prælaturis accenſentur, & quibusdam in locis in diætis provincialibus prælatorum iure fruuntur, & ſic in Saxonia in Conſiſtorio ſupremo vel Senatu eccleſiaſtico conueniuntur. Carpz. *cit. l. n. 5. & 9.* Similiter & ſcholæ triuiales in plerisque locis ſubſunt conſiſtorii iurisdictioni, niſi conſuetudine aliud introductum vel legibus publicis cautum ſit. Vid. Dn. Stryk *in not. ad ius eccl. Brunnem. lib. I. C. IV.*

C. VI. m. 12. §. 12. Hæc omnia indicant, Academias & Scholas magis ad corpus ecclesiasticum referendas esse, qua ex ratione etiam Pontifex ius erigendi Academias sibi vindicauit.

§. IV. Ex hoc fundamento quoque Principes protestantes in plurimis Monasteriis Scholas erexerunt, vel bona monasteriorum Academiis incorporarunt, quia hoc ipso ad vsus æque similes imo magis pios applicata sunt, et consequenter pristinam suam naturam haud amiserunt, sed adhuc instar beneficiorum ecclesiasticorum habentur Slevogt *de vnion. benef. Diss. I. c. I.*

§. V. Proxime olim imprimis ad corpora ecclesiastica accedebant *scholæ episcopales*, quæ ab Episcoporum regimine dependebant, & in quibus iuuentus ad vtilitatem ecclesiæ, eiusque disciplinam addiscendam instituebatur, de quibus mentio fit in *Concil. Cabilonensi II.* anno 813. celebrato, *c. 3.* quæ circa seculum XI. in desuetudinem abierunt, restaurandæ tamen secundum Concil. Trident. *Sess. XXIII. c. 18.*

§. VI. Sicuti vero hæ scholæ episcopales maxime illis patebant, qui ad clerum essent assumendi, ita postea Academiæ plenius instructæ sunt, vt omnibus indifferenter prodessent, qui quibuscumque artibus liberalibus essent instruendi, & inde *Vniuer-*

sita-

sitates dictæ videntur, quæ itidem ad *corpora ecclesiastica* accedere videntur. Hoc intuitu quoq; *Scholæ* disertis verbis inter *bona ecclesiastica* referuntur in *I. P. art. V.* §. *25.* & terminus quoque *anni 1624. d. 1. Ian.* iis applicatur.

§. VII. Inter Protestantes *ius instituendi scholas* ad Principem pertinet, quemadmodum ille quoque scholarum ministros constituit, nisi *ius Patronatus* Senatui competat. Quodsi Princeps vel Patronus religionem mutaverit, communitatibus in *I. P. art. VII.* §. *1.* concessum est, vt possint idoneos nominare scholæ ministros a Principe confirmandos. Quid vero tunc obtineat, si simul communitas aliqua religionem sui Principis amplexa est, de eo vid. *I. P. art. VII.* §. *2.*

§. VIII. Sic quoque in hoc casu Principi integrum est, in vsum subditorum, qui eandem cum principe religionem profitentur, nouas instituere scholas. Ast in *ciuitatibus immediatis* imperii, vbi Catholica & Protestantium religio æque viget, vt Kauffbeiræ & Augustæ Vindelicorum &c. maior difficultas occurrit, an nouas scholas erigere iis integrum sit, quæ anno 1624. d. 1. Ian. ibidem non fuerunt. Fuisse hanc quæstionem in comitiis acriter ventilatam refert Autor. *meditat. ad Instrum. P. art. V.* §. *29. p. 460.*

460. vbi *in f. d.* §. *29.* argumenta vtriusque partis subinde recenset. Non desunt in vtramque sententiam argumenta satis plausibilia, quodsi tamen verba *dict.* §. *29. final.* recte ponderentur, nouarum scholarum institutio non videtur prohibita, cum expresse cautum sit, neutri partium alteram de religionis suae exercitio deturbare fas esse, quod liberum Religionis ercitium etiam inuoluit nouarum scholarum institutionem, imo inter annexa eius refertur in *art. V.* §. *31.* Ast vbi protestantes soli clauem reipubl. gerunt, mere respiciendum est ad annum 1624, vt illis tantum scholis Catholici frui possint, quas dicto anno habuerunt. Si nullas habuerint, parentes non prohibentur exteris suae religionis scholis liberos tradere, aut priuatis domi praeceptoribus instituendos committere per *art. V.* §. *34.*

§. IX. Denique ex hactenus dictis quoque fluit, disciplinam in scholis exercendam esse secundum leges a principe praescriptas, non ad praescriptum parentum. Hi quidem intra priuatos parietes disciplinam in liberos exercent, sed in Scholis publicis omnia dirigenda sunt secundum leges, cum haec seminaria constituantur in vtilitatem reipublicae, & vigor Patriae pote-

statis

ftatis in his quiefcere, & fe fuis continere limitibus debeat.

TIT. XIV.
DE
IVRE PATRONATVS.

§. I.

IVS PATRONATVS antiquiſſimum quidem eſt, ſed non eodem modo & ſenſu olim, vti quidem hodie, vſitatum. Olim Fundatores eligebant clericos & conſtituebant, eosque præſentabant Epiſcopo, non vt ipſe eos conſtitueret, ſed vt tantum, an digni eſſent, inquireret. Sic Iuſtin. in *Nov. 57. c. 2.* iubet, a fundatoribus idoneos in eccleſiis, quas fundauerint, eligi, & nominari, & quidem dignos ex Epiſcopi Diœceſani iudicio & examine probandos. Idem perſpicue apparet *ex Nov. 123. c. 18.* vbi Imper. ita: *Si quis oratorii domum fabricauerit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipſe aut ejus hæredes: Si expenſas ipſis Clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinari* &c. Epiſcopi ergo erat probare præſentatos, & ordinare quos dignos iudicaſſet; nam in hunc finem ei offerebantur, vt dicitur in *Concil. Tolet. IX. c. 2.* relato a Gratiano *c. 32. C. 16. q. 7.*

§. II.

§. II. Quia vero hæc *collatio muneris ecclesiastici*, quæ olim laicis Patronis adscribebatur, cum doctrina subsequentium temporum minus conuenire videbatur, secundum quam laici inhabiles iudicati ad ius spirituale exercendum, nouam interpretationem *præsentatio a Patronis facienda* accepit, vt tantum denotaret *designationem personæ*, Episcopo offerendam, vt ille ei, si dignus repertus fuerit, munus ecclesiasticum conferat. Omnem enim *collationem* munerum ecclesiasticorum adscribunt Episcopo, eamque aiunt esse vel *liberam*, quando Episcopus ipse denominat personam muneri præficiendam: vel *non liberam*, quæ fit ad præsentationem Patroni. Hoc sensu præsentatio accepta parum vel nihil a *nominatione* differt, de qua Autor §. 10.

§. III. Inde factum esse credo, quod Canonistæ quouis conatu ius Patronatus coarctare, eiusque essentiam vnice ad *præsentationem* restringere laborauerint, ne vltra quid Patrono indulgeretur, sed Episcopo *ius collationis* saluum maneret. Imo non defuerunt, qui illud multis argumentis impugnarunt, vt Gisb. Voetius de *Polit. eccl. P. 2. lib. 3. tr. 2. c. 3. seqq.* aliique, quæ tamen solide resoluit Schookius *exercit. 18.* §. 6. Incommoda quædam secum habet, sed propterea in totum reprobari nequit.

§. IV.

ftatis in his quiefcere, & fe fuis continere limitibus debeat.

TIT. XIV.
DE
IVRE PATRONATVS.

§. I.

IVS PATRONATVS antiquiffimum quidem eft, fed non eodem modo & fenfu olim, vti quidem hodie, vfitatum. Olim Fundatores eligebant clericos & conftituebant, eosque præfentabant Epifcopo, non vt ipfe eos conftitueret, fed vt tantum, an digni effent, inquireret. Sic Iuftin. in *Nov. 57. c. 2.* iubet, a fundatoribus idoneos in ecclefiis, quas fundauerint, eligi, & nominari, & quidem dignos ex Epifcopi Diœcefani iudicio & examine probandos. Idem perfpicue apparet *ex Nov. 123. c. 18.* vbi Imper. ita: *Si quis oratorii domum fabricauerit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipfe aut ejus hæredes: Si expenfas ipfis Clericis miniftrant, & dignos denominant, denominatos ordinari* &c. Epifcopi ergo erat probare præfentatos, & ordinare quos dignos iudicaffet; nam in hunc finem ei offerebantur, vt dicitur in *Concil. Tolet. IX. c. 2.* relato a Gratiano *c. 32. C. 16. q. 7.*

§. II.

§. II. Quia vero hæc *collatio muneris ecclesiastici*, quæ olim laicis Patronis adscribebatur, cum doctrina subsequentium temporum minus conuenire videbatur, secundum quam laici inhabiles iudicati ad ius spirituale exercendum, nouam interpretationem *præsentatio a Patronis facienda* accepit, vt tantum denotaret *designationem personæ*, Episcopo offerendam, vt ille ei, si dignus repertus fuerit, munus ecclesiasticum conferat. Omnem enim *collationem* munerum ecclesiasticorum adscribunt Episcopo, eamque aiunt esse vel *liberam*, quando Episcopus ipse denominat personam muneri præficiendam: vel *non liberam*, quæ fit ad præsentationem Patroni. Hoc sensu præsentatio accepta parum vel nihil a *nominatione* differt, de qua Autor §. 10.

§. III. Inde factum esse credo, quod Canonistæ quouis conatu ius Patronatus coarctare, eiusque essentiam vnice ad *præsentationem* restringere laborauerint, ne vltra quid Patrono indulgeretur, sed Episcopo *ius collationis* saluum maneret. Imo non defuerunt, qui illud multis argumentis impugnarunt, vt Gisb. Voetius de *Polit. eccl. P. 2. lib. 3. tr. 2. c. 3. seqq.* aliique, quæ tamen solide resoluit Schookius *exercit. 18. §. 6.* Incommoda quædam secum habet, sed propterea in totum reprobari nequit.

§. IV.

§. IV. Ius Patronatus est vel *laicum* vel *ecclesiasticum*. Hoc dicitur, quod clerico competit ratione sui beneficii, sicuti illud, quod laico competit ratione patrimonii proprii, imo et si clerico competit ratione patrimonii proprii *laicum* est, quale etiam in dubio præsumitur. Espen *in iur. eccles. P. 2. tit. 25. c. 2. §. 10.* Diuersitas vtriusque iuris in eo quæritur, (I) quod laicus intra quatuor menses, ecclesiasticus vero intra sex præsentare debeat *c. vn. h. t. in 6.* (II) quod ille in præsentando variare possit, non hic *c. 29. X. h. t.* quæ variatio tamen hunc effectum habet, vt per præsentationem secundi non excludatur primus, sed Episcopus vni gratificari possit Brunnem. *in iur. eccl. lib. 2. c. 8.* §. 4. ibique Dn. Stryk. (III) quod legatus a latere in præiudicium Patroni *ecclesiastici* non *laici* beneficium vacans conferre possit. *c. 28. X. h. t.*

§. V. Olim tantum acquirebatur *sola fundatione*, sed post obtinuit, vt etiam *dotatione*, & *exstructione* obtineri queat, adeo vt hoc modo tres ad fundationem concurrentes ius Patronatus acquirant Fagnanus *ad c. quoniam. X. h. t. m. 34.* Et denique præscriptione 40. annorum contra ecclesiam, alias liberam, præscribitur *c. 24. X. de elect.* Finkelts. *de iur. Patron. c. 4. n. 96.* In fundatione tamen requiritur consensus Episcopi, vel, in

terris

terris protestantium, domini territorii, absque quo ius patronatus nemo sibi vindicare potest. *c. 25. X. h. t.*

§. VI. Porro circa *acquisitionem* refert, vtrum fundo vel castro acquiratur, an personæ, vnde illud *reale*, hoc *personale* dicitur. Si *reale* est, tunc secundū ea, quæ Autor §. *XV.* habet, transit cum re ad omnem possessorem *c. 13. X. h. t.* & sic etiam ad maritum, fundo in dotem dato, imo & ad viduam ratione Dotalitii, nisi expresse exceptum sit. Espen *cit. l. c. 4.* §. *12.* Si *personale* est, ad heredes tam legitimos quam extraneos in solidum transit *c. 1. X. h. t.* Huc etiam refero, si collegio competit, vt Senatui vel capitulo, quo casu maioris partis sententia in præsentando præfertur.

§. VII. Ceterum ius patronatus non tantum in *præsentando* consistit, quod ius satis prolixe Autor explicat; verum etiam *iura* nonnulla *reverentialia* habet, quorum obiter Autor mentionem iniicit §. 32. Et hoc intuitu quoque tanti habetur, vt etiam magnis animi concertationibus de eo contendatur. Primo itaque patrono debentur *iura* illa *reverentialia*, quæ in iure communi fundantur, & collecta sunt a B. Dn. Strykio duplici diss. *de iur. reverent.*

§. IIX. Speciatim autem ad *iura honoris* spectat 1) quod *luctu publico* in ecclesia pa-

tronata condecorentur ob funus domesticũ vid. *diss. de luct. publ.* §. *29.* II) quod publicis ecclesiæ precibus speciatim commendentur Carpz. *lib. II. I. E. def.* 289. dissert. *de iur. prec. publ. c. III.* §. *20. seqq.* adeo vt etiam pro patroni vxore & liberis institui debeant. conf. Espen *de iur. eccles. P. II. tit. 25.* §. 22. III) quod sedem eminentiorem, qualis est, quæ Altari propior est in templo & sic in *choro* stallum habeant, quod alias laicis haud permissum est. Id. *cit. I.* §. *26.* imo & sepulchrum in choro quoque ipsis concedatur. Alia adhuc addunt iura honoris circa *processionem* &c. quæ apud nos cessant.

TIT. XV.
DE ORDINATIONE.

§. I.

ORdinatio ab ævo Apostolico facta est per *manuum impositionem*, quæ tamen ab Apostolis non vt ritus aliquis ecclesiasticus, sed cum *miraculosa* quadam *efficacia* adhibita fuit. Neque hac tantum in presbyterorum constitutione, sed aliis variis occasionibus vsi leguntur, vt hi, quibus manum imponerent, Spiritus S. gratia instruerentur,

quod

quod donum in Apostolis erat extraordinarium. Act. *IIX. 17. 20. IX. 17. seqq. VI. 6. XIII. 3. XXIIX.* 8. Neque enim alii imponebant manum, quam qui hoc extraordinario dono præditi erant. *1 Tim. IV. 14. 2 Tim. I. 6.*

§. II. Defunctis Apostolis, impositio manuum in presbyterorum & Episcoporum constitutione retenta fuit, non habita distinctione, vtrum hi, qui manus imponerent, hoc extraordinario dono essent præditi nec ne? Et ita ab hoc tempore in meram mutari cœpit ceremoniam ecclesiasticam, ex quo facile diiudicari potest, an recte *iuris divini* dici possit, & an *ecclesiæ* a Deo datum sit, prout Autor existimat? Ziegl. *de Superintend. c. 14. §. 13.*

§. III. Quia tamen clerus pontificius supponit, Episcopos Apostolorum successores esse, inde quoque impositioni manuum, quæ ab eis in ordinatione fit, eandem virtutem attribuit. Patet hoc ex *c. 9. C. 1. q. 2.* vbi dicitur, quod *per sacram manus impositionem Spiritus S. conferatur*, & passim Episcopis adscribitur, quod tradant Spiritum, seu paracletum *c. 5. & 7. de consecrat. D. 5.* Hoc sensu ordinatio, pretio interveniente, *Simonia* dicta fuit, quod Spiritus S. gratia vendatur *c. 11. C. 1. q. 1.* Imo ipsa *ordinatio* in classem *sacramentorum* est reiecta. Atque hanc

gratiam Spiritus S., per quam ad officium sacrum peragendum demum idonei fiunt, vocarunt *characterem*, & quidem *indelebilem*, ne de efficacia ministri impii dubitari posset, cum etiam minister impius eandem efficaciam retineat, ac quidem pius. *c.* 30. *C. 1. q.* 1. *seqq. c. 66. C. 1. q. 1.* Augustinus Scholasticis ad fingendum hunc characterem, seu *notam animæ impressam*, ansam dedisse videtur, vti apparet ex *c.* 97. *C. 1. qu. 1.*

§. IV. Non ergo *præsentatione* Patroni, non *electione* populi, imo nec *confirmatione* Episcopi Pastor munus sacrum h. e. potestatem illam spiritualem, quæ muneri cohæret, consequitur, sed demum *ordinatione*, & ita, stante hac hypothesi, absolutæ necessitatis est, vt sine ea electus & confirmatus non possit illa, quæ ordinis sunt, peragere; quia, vt dicitur in *c. 4. c.* 1. *q.* 7. §. *11. ex Deo ordinatio est.*

§. V. Huic characteri indelebili, qui per ordinationem animæ ordinati imprimitur, adscribuntur insignes effectus, & vtinam reliquias eius in ecclesiis protestantium haud haberemus, in quibus tamen hunc characterem, & quidem recte, negamus. Sic 1) operatur, ne ordinatio possit reiterari *c.* 1. *D.* 68. 2) vt sine titulo fieri nequeat *c. 1. D.* 70. h. e. sine certo officio sacro vel ministerio, vel reditu certo, vnde se alere possit, ne

ne character ille despectui fiat. 3) Potestatem eucharistiam administrandi confert, & 4) ius clauium seu absolvendi a peccatis, adeo vt nec laicus in casu necessitatis eucharistiam administrare posit *c. 47. de consecr. D. 4.* vid. Lynck. *de eo quod iustum est circa S. cœnam c. 2. n. 4.* 5) per depositionem non amittitur, nec per excommunicationem aut suspensionem; adeo vt talis minister depositus vel excommunicatus sacramenta valide conferre posit, licet peccet in conferendo *c. f. X. de cleric. excommun. depos.* 6) imo inde fluit doctrina de efficacia ministerii impii pastoris *c. 98. inf. C. 1. q. 1.* quod spiritus S. æque adsit ministerio impii, quam pii cit. *c. 98. c. 58. C. 1. q. 1.* & quod consequenter æque efficaciter verbum Dei prædicare posit. 7] quod ordinem nemo derelinquere & deserere posit, vt fiat laicus. vid. Dn. Thomasii diss. *de desert. ord. eccles.* 8] quod gravius puniri debeat laicus sacra ministrans quam clericus depositus. 9] quod ab hæreticis ordinati de novo non sint ordinandi, vbi ad nostram redeunt ecclesiam, 10] quod non facile impii deponi posint, quia nihilominus characterem retinent. 11] quod depositi adhuc clericorum iure fruantur, non in sortem laicorum incidant. 12] quod sacerdotium conferat, id quod ab alio quam Episcopo conferri nequit, quippe qui tantum

funt fucceffores Apoftolorum. 13] quod clerici incarcerari non facile debeant ob debita civilia. 14] quod vocentur *spirituales*, laici carnales *c.* 5. *&* 12. *C.* 6. *q.* 1. 15] quod clerico manum inferens ipfo iure excommunicatus fit, a qua excommunicatione tantum Pontifex abfolvere queat *c.* 29. *C.* 17. *qv.* 4. *&c.*

§. VI. Ordinatio facienda I] *a proprio episcopo c.* 1. *fqq.* *D.* 76. *c. fqq. D.* 71. vt autor etiam §. *III.* monet, vel in terris Proteftantium a Superintendente, cui infpectio in ecclefiam vacantem competit, vel cui in fpecie per ordinationes ecclefiafticas hoc ius commiffum Ziegler. *de Superint. c. XIV.* §. 17. Alibi *Senior* in minifterio ordinat collegam in minifterio cooptandum, vti Hannouerae. Iure Canonico *competentia* ratione ordinationis non tantum aeftimatur ex beneficio vacante, fed etiam ex perfona *clerici* ordinandi: peregrinos enim clericos nemo ordinare poteft *c.* 7. *feqq. D.* 71. *c.* 1. *fqq. D.* 72. *&* 73. nifi per literas dimiffiorias poteftas haec indulta fit.

§. VII. Literae *dimiſſoriales* olim dicebantur, quibus clericus ab Epifcopo dimittebatur nunquam reverfurus, Espen *P.* 2. *tit.* 9. *c.* 3. §. 1. Hodie vero dicuntur, quibus clericis poteftas fit, ab aliis Epifcopis ordines fufcipiendi. Has tantum Epifcopus

pus etiam non consecratus concedit, non eius officialis, nec alius Prælatus *c.* 1. *de tempor. ordin. in 6. c.* 8. *X. de offic. Archidiac.* Sed harum literarum vsus in ecclesiis protestantium nullus est, cum, vbi Superintendens impeditur ordines conferre, consistorium hoc negotium alii demandet.

§. IIX. Porro II) facienda est *publice in ecclesia* præsente populo. Ziegler *de Superint.* *c.* 14. §. 14. III) *tempore præstituto* h. e. in solennibus quatuor temporum ieiuniis vel Sabbato ante dominicam de passione *c.* 3. *X. de tempor. ordin.* Olim die dominica ordines conferebantur, quod tempus huic negotio satis commodum est, interim inter Protestantes est arbitrarium. IV) *Sine interveniente pretio c.* 1. 5. 8. *sqq.* 22. 101. 116. *C.* 1. *q.* 1. *c.* 4. *C.* 1. *q.* 2. V] *a ministerio eiusdem religionis;* id quod si in eo territorio deest, vbi ordinandus sacris est præficiendus, alibi ordinari debet, quem locum ipsæ communitates elegerint, per *I. P. art. VII.* §. 1. *in f.* quo facto a principe vel domino territorii, etiam diversæ religionis, statim confirmandus est *cit.* §. 1. *art. VII. in f.* Hoc vtique singulare est, quod Abbatem Luccensem Theodorum III. vtut A. C. addictus esset, Catholici Coloniæ Diaconum & Monasterii presbyterum ordinaverint. vid. ill. Leibnitii *tom. III. Script. Brunsuic. p.* 699.

TIT. XVI.
DE
CONFIRMATIONE ET INVESTITVRA.

§. I.

PEr *Præsentationem, confirmationem & ordinationem*, ordinatus quidem clericorum ordini adiungitur; sed vt præterea etiam in possessionem officii sacri & emolumentorum ei annexorum ecclesiæ illius, cui præficiendus est, mittatur, *institutio* seu *investitura* necessaria est. Ast in ecclesiis Protestantiũ absolute necessaria non est. Carpz. *lib.* 1. *l. E. def.* 54. *n.* 5. cum per ipsam ordinationem *potestatem ministerii sacri* ordinatus accipiat, & ita in ecclesia sibi destinata statim officio fungi debeat. Inde quoque fit, vt sæpe diu differatur, quandoque plane omittatur. Ziegler *de Superint. c. XV. §.* 5. Quamvis vero negari nequeat, eam vtilem esse, si ab initio fiat ante ipsum officii sacri ingressum, Meu. *p.* 3. *decis.* 133. *n.* 7. simul tamen inde apparet, eam plane minus commode adhiberi, postquam pastor ordinatus iam diu suo functus est officio. vid. *Ius Paroch. Sect. III. c.* 1. §. 38. Ziegl. *cit. l.* §. 6.

§. II.

§. II. Interim in beneficiis patronatis Canonistæ adeo necessariam institutionem Episcopi esse aiunt, vt si propria auctoritate ante *institutionem* beneficium occupet, & fructus percipiat, ius ex præsentatione quæsitum amittat *c.5. de elect. in 6.* Sed hoc intelligendum est de collatione iuris in beneficium *iuris patronatus*, adeoque magis *confirmationi* hodiernæ respondet. Volunt enim non a patrono beneficium conferri posse, sed hanc collationem, etsi non liberam, spectare ad Episcopum, eamque vocant *Institutionem*, quo ipso realis possessio non transfertur, quæ proinde dici solet *institutio corporalis*.

§. III. Tracta est vtraque *institutio* tam *verbalis* quam *realis* ex moribus feudorum. Imo *beneficia ecclesiastica* proprie dictam naturam *feudorum antiquorum* habent, quia etiam prædia ecclesiastica ob seruitia ecclesiastica bene meritis fruenda, *loco salarii*, dantur, in quo primæua feudorum natura constitit. Espen. *in Iur. eccles. P. II. tit. 18. §. 3. seqq.* Vnde etiam *beneficii* appellatio, feudis propria, ad prædia ecclesiastica tracta est, & præbendæ in antiquis diplomatibus non raro vocantur ein Pfründe der geistlichen Lehnschafft. Conf. du Bois *in histor. eccles. Paris. tom. II. lib. 17. c. 7. §. 10. p. 584.*

§. IV. Similiter sicuti *inuestiturae* appellatio de feudorum concessionibus praedicatur, ita etiam ad beneficia ecclesiastica trahi debuit. Est vero inuestitura vel *abusiua* vel *realis*: per *illam* vasallus tantum ius in feudum non actualem possessionem consequitur; per *hanc* vero actualem simul possessionem consequitur. *Illa similis est institutioni seu inuestiturae, quae fit de beneficiis ecclesiasticis, quippe per hanc clericus quidem ius in beneficio acquirit, sed nondum possessionem, donec in eam separato actu fuerit inductus*, vt loquitur Petrus Gudelinus *de iur. feud. p. 2. c. 9.* relatus ab Espenio *cit. tr. P. 2. tit. 26. c. 2. §. 2. in f.*

§. V. Haec itaque investitura *realis* Episcopo tribuitur, cum huic etiam *verbalis* competat, siue sit beneficium *liberum*, siue *non liberum*. De *liberis* beneficiis h. e. iuri patronatus non subiectis hoc eo minus dubium habet, cum constet, ab antiquis temporibus bonorum ecclesiasticorum dispensationem penes Episcopum fuisse, adeoque illum quosque reditus clericis assignasse. Postquam vero bona stabilia clericis in modum *beneficii* assignata fuerunt, ad Episcopum quoque tanquam *Dominum quendam feudi* haec inuestitura spectavit. Quemadmodum vero per mortem huiusmodi vasalli feudum ecclesiasticum fit vacans, & ad domi-

dominum feudi reuertitur, ita Episcopi inde sibi vindicarunt fructus vacantis beneficii, sub nomine *iuris deportus*, de quo agit Ludov. Thomass. *de vet. & nov. eccles. discipl. P. 3. lib. 2. c. 37.*

§. VI. Cum itaque beneficia libera, quæ olim ad collationem Episcoporum spectabant, in territoriis protestantium ad collationem Principis spectent, iis quoque *ius inuestiendi* competit, quod per Superintendentes aliosque iis adiunctos commissarios expedire possunt. Laicis & magistratui seculari ius *inuestiendi* denegat Mev. *P. 3. Decis. 134.* quod hoc sit proprium Episcopo, & ad iura *ordinis* referatur, adeoque a magistratu seculari exerceri non possit. Sed inuestituram ad actus *ordinis* referendam esse, negant Pontificii, dum concedunt, Episcopum etiam non consecratum instituere posse. Petrus Leurenius *in for. benefic. P. II. q. 169. n. 1.* quin potius iurisdictioni ecclesiasticæ ea adscribunt, cuius nec inhabiles sunt magistratus seculares in foris Protestantium, si præscriptione immemoriali tuti sunt. Et quamuis in ipsa inuestitura concio solennis aliaque sacra solennia interuenire soleant, hæc tamen magistratus secularis æque Pastoribus commendare potest, vti Princeps eam committit Superintendentibus. Inde etiam in nonnullis locis Patroni ius inuesti-

endi

endi habent ex consuetudine, quod tamen expedire solent per personas qualificatas & idoneas Io. Köppen *Dec. 1. enucl. 2. n. 50.*

§. VII. Sed in ecclesiis patronatis institutionem realem Episcopo competere, eo magis mirandum, quod bona ecclesiastica, Pastori in salarium assignanda, a Patrono vel eius maioribus prouenerint, adeoque ipse potius tanquam *dominus feudi* haberi debeat. Olim sane tantum praesentabant Episcopo candidatos examinandos & ordinandos *c.32. C.16.q.7.* Verum vt recte obseruat Espen. *de iur. eccles. P.2. tit.26. c.2.n.1.* olim in ipsa ordinatione institutio complectebatur, adeoque ordinati separatim non ita instituebantur. Hac vero ab ordinatione separata, Episcopi quoque illam sibi vindicarunt. Conf. idem *P. 2. tit.25. c.5.§.6.* Ex quo apparet, quod consuetudo haud irrationabilis sit, secundum quam Patroni adhuc hodie in quibusdam locis inuestiunt, & quod eorum maximopere intersit, vt concurrant in inuestiendo, quod Autor *§. VIII. seqq.* declarat.

Tit. XVII.

TIT. XVII.
De
PERSONARVM ECCLESIASTICARVM OFFICIO ET QVALITATIBVS.

§. I.

Officium ministrorum ecclesiæ satis arduum est, si recte exerceatur. Summatim quædam Autor refert, quibus hæc addenda. Imprimis illis demandata est (I) *cura pauperum & viduarum*, vt infirmos diligenter visitent, necessitatibus peregrinorum & indigentium succurrant, & orphanorum singularem curam habeant *c. 2. D. 91.* Hoc erat primarium Presbyterorum officium in primitiua ecclesia, Iustin. Martyre *in Apol. II. in f.* teste, & per plurima secula continuatum est. *c. 1. D. 82. c. 6. D. 86. c. 1. seqq. D. 87. c. 7. D. 88.* In hunc vsum quoque bona ecclesiastica erant destinata, quorum dispensatores illi erant. Sed hoc officium adeo hodie incognitum est, vt fere hi in inuidiam vocentur, qui hoc officium sedulo peragunt.

§. II. Huic coniuncta esse debet (II) *inspectio in singulorum mores & vitam.* Debent enim cum magna animi constantia vigilare super dominicas oues, vt ait Gregorius

in

in *c. 23. D. 81.* & ita cauere, ne quis pereat, *c. 10. D. 47.* quæ inspectio tamen ita temperanda, ne in Dominatum degeneret *c. 3. D. 94. c. 6. D. 95. c. 7. D. 95.* Et in hunc finem *visitationes domesticas* esse necessarias, supra dixi.

§. III. Vlterius (III) dissidentes fratres ad concordiam deducant *c. 7. D. 90.* & in hoc mutuum sibi auxilium & consilium præbeant. *c. 11. D. 90.* Sed rursus absque autoritate dictatoria. Placide, sine asperitate aut persecutione, errantes in viam deducant *c. 8. D. 45. c. 1. 2. D. 46.*

§. IV. Occulta (IV) delicta iis reuelata etiam extra auricularem confessionem haud propalent, aut magistratui ad vindictam publicam denuncient, quin potius in conuertendo delinquente omnem adhibeant operam. Verum quanta imprudentia a plerisque hic peccari soleat, experientia testatur, cum plurimis illa insideat persuasio, se ad denunciandum esse obligatos. Sed audiant Augustinum in *c. 19. C. 2. q. 1.* ita differentem: *Nouit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo nouit. Ego nolo illum publice corripere, & tu quæris inscribere? prorsus non prodo, nec negligo. Corripio in secreto: Pono ante oculos eius Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. Vnde aliquando*

quando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus, aut putant, nos scire, quod nescimus, aut putant, nos tacere quod scimus. Sed forte quod scis & ego scio, sed non corám te corripio, quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando nobis produntur ab vxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus. Non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur. Non tamen vulnus illud negligimus ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum.

§. V. Ante omnia vero (V) a studio complacendi alienus sit. *Nihil illo Pastore est miserius, qui luporum laudibus gloriatur c. 6. D. 83.* Imo *quisquis male agentibus adulatur, puluillum sub capite vel cubitu iacentis ponit, vt, qui corripi ex culpa debuerat, in eo fultus, laudibus molliter quiescat c. 2. D. 46.* Proinde Patres censuerunt, eiusmodi clericum ab officio remouendum esse *c. 3. D. 46.*

§. VI. Damnantur quoque (VI) *iniuriarum suarum vltores* in *c. 8. D. 46.* Nihil quippe magis ab officio Pastoris alienum esse debet, quam impias mouere actiones iniuriarum, quas iudex ex officio inter personas ecclesiasticas impedire pro viribus debet. Mev. *P. 1. Dec. 224. n. 5, & 6, & P. 3. Decis. 217.*

§. VII.

§. VII. Qualitates clericorum sunt plures, ab Autore nostro strictim tactæ. Plures Pontificii repetierunt ex sacerdotio V. T. quæ in *externa* quadam corporis *integritate* consistunt, quæ tamen magis ad internam animi dispositionem debuissent applicari, vti fit in *c. 4. D. 49.* Ex harum defectibus quidam dicuntur *irregulares*, h. e. a *regula* alieni, in qua præscriptæ sunt debitæ qualitates *c. 17. Concil. Nic.* & ita *irregularitas* notat *impedimentum canonicum, ob quod quis ordinari vel in suscepto ordine administrare prohibetur*; qualis oritur ex bigamia, defectu natalium, effusione sanguinis, ex crimine infamante, defectu quodam corporis, aliisque, de quibus plene agit Espen *de Iur. Eccl. P. 2. tit. 10. c. 2. seqq.* Leurenius *de for. benef. P. I. qu. 335. seqq.* Sed ipse Espenius *cit. l. c. 1. n. 3.* fatetur, per plura secula irregularitatem tantum in crimine eiusque suspicione constitisse, & eum demum *irregularem* dictum fuisse, qui non esset *irreprehensibilis*, adeoque plures qualitates otiosæ hodie in clericis Pontificiis requiruntur, quæ merito apud nos cessant. Sint itaque illi demum *irregulares*, qui sunt *reprehensibiles*, quoniam hi reuera a regula, a Paulo *1 Tim. III, 2.* præscripta, alieni sunt. E contrario illi regulares dicantur qui ita comparati sunt, prout

Caro-

Carolus M. Hadrianum depinxit, teste Lambecio *in bibl. Vindeb. lib. II.*

Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus:
Pastor apostolicus, promtus ad omne bonum.

Tit. XIIX.

DE PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS CLERICORVM.

§. I.

PRiuilegia clericorum & immunitates sunt iuris mere humani, non diuini. Neutiquam vero cum Autore nostro in §. *1.* asserendum est, eos ipso iure a foro ciuili esse exemtos, quod sint exemti a societate reip. ciuili, & ad ecclesiasticam translati; nam prout *tit. I.* euici, ecclesia separatam quandam rempubl. haud constituit, nec iurisdictionem *iure proprio* habet, quin potius hæc a ciuili dependet.

§. II. Verum cum Autor satis prolixe priuilegia clericorum pro instituti ratione explicauerit, nihil eis addere necesse est. Quia vero ita absoluit illa, quæ ad *constitu-*

tionem clericorum spectant, debuisset etiam post hunc titulum subiicere modos quibus clerici officium suum amittunt, id quod cum omiserit, defectum hunc supplebo.

Membrum I.

De RESIGNATIONE SEV RENVNTIATIONE.

§. I.

Primus modus amittendi beneficium sacrum est *RESIGNATIO, quae est spontanea officii ecclesiastici, ex auctoritatis publicae concessione facta abdicatio.* Dico, renunciationem esse *abdicationem officii ecclesiastici*, non *ordinis*, huius enim desertionem plane improbant. Differunt in eo, quod *resignatio officii sacri* non tollat ordinem, nec resignantem eximat numero clericorum: ast *renunciatio ordinis* in laicam conditionem detrudit renunciantem, & ex clerico facit laicum.

§. II. Talem vero *desertionem ordinis* damnant Pontificii, praesertim in Concil. Trident. *Sess. XXIII. de ordine c. 4.* eamque *Apostasiam ordinis* dicunt, & delictis ecclesiasticis accensent, quae hypothesis vnice fluit ex doctrina *de charactere indelebili*, quod non diffitetur Autor noster supra *lib. I. tit.* 14. §. 6.

Pon-

Pontificiorum doctrinam secutus. Merito tamen ab hac recessit Ill. Dn. Thomasius *Diss. de Desert. ordin. eccles.* docens desertionem talem parum honestam, si absque iusta causa fiat, non tamen delictum esse. Cum enim conclusio Pontificiorum fluat ex principio reprobato, merito ipsa conclusio quoque reprobanda erit. Neque olim hæc doctrina, quod ex clerico posset fieri laicus, adeo incognita erat, cum etiam quandoque clerici in pœnam laici fierent, seu *communionem laicam* acciperent, cuius fit mentio in *c.* 10. *seq. D.* 50. *c.* 13. *D.* 55. *c.* 5. *D.* 84. *c.* 118. *C.* 1. *q.* 1. *c.* 1. *C.* 1. *q.* 7. Erat autem communio laica iuxta Albaspinæum *de veter. eccles. ritib. lib.I. obs.* 4. §. 5. nihil aliud, *quam esse in ecclesia & de ecclesia tanquam laicum, ita vt qui ecclesiasticus laicæ communioni deputabatur, gradu suo perpetuo excideret, & ex clerico fieret laicus.* Incognitum ergo eo tempore adhuc fuit Anathema Patrum Tridentinorum, quod ei dicunt, qui docet, ex clerico posse fieri laicum.

§. III. Resignationes vt sint permissæ, requiritur (I) *vt sponte fiant.* Qui metu & vi maiori adactus renunciare debuit, eius resignatio est nulla, sed is in omnia iura amissa restituendus est *c.* 2. *X. de his quæ vi met. caus.* etiamsi eiurauerit beneficium *c.* 4. *X. eod.* (II) *accedente auctoritate superioris,*

in nostris ecclesiis, consistorii, absque qua effectum nullum habet, quippe qui illam *iusta de causa* denegare potest *c.* 1. *X. h. t.* Patroni consensus non de *necessitate*, sed tantum *honestate* requiritur Carpz. *P.* 2. *I.E. Def.* 125. adeo vt si in eius manus facta fuerit, sine auctoritate consistorii, ea nullam habeat firmitatem *c.* 8. *X. h. t.*

§. IV. Fiat (III) *iusta de causa.* Probatæ sex causæ sunt in *c.*10. *X. h. t.*, quæ hoc versiculo continentur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Imprimis huc canonistæ referunt *conscientiam criminis*, maxime *occulti*, ob quod sæpe Episcopi sese sponte pœnitentiæ ecclesiasticæ subiecerunt & resignarunt. Vid. Albaspinæus *de Veter. rit. eccl. lib. II. obs.* 34. §. 11. Samuel Basnage *Tom. II. annal. ad ann.* 254. §. 4. Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imper. lib. VII. c.* 25. Præter has causas alias admitti posse, præsertim in ecclesiis nostris, dubium non habet, quæ arbitrio iudicis reseruantur.

§. V. Renunciatio fit vel *absolute* & *simpliciter*, vel sub certo *modo* vel *conditione.* Posterius fit; (I) Si resignans sibi reseruat ali-

quam

quam pensionem, vel reditum ex beneficio, quod, iusta causa suadente, admitti potest. Engel *in colleg. I. Can. h. t. n.* 10. etiam in ecclesiis protestantium. Carpz. *Lib.* 1. *I. E. Def.* 153. *seq.* (II) Si fiat in fauorem tertii. Hæc regulariter est prohibita, quia raro absque pactis clandestinis quæstuosis esse solet. Quodsi tamen turpis quæstus nullus subesset, facilius, ceteris paribus, admitti posset, qua ratione hodie excusari solent resignationes præbendarum in fauorem tertii. Confer. Duarrenus *de benef. eccles. lib. VIII. c.* 2. Quia tamen ita tertio de nouo beneficium conferendum est, hæc renunciatio fieri debet cum consensu Patroni, ne in præiudicium præsentationis ipsi competentis hæc fiat. Finckelthaus *de Iur. Patron. c. II. n.* 23.

§. VI. Resignatione facta, & a superiore admissa, resignans omne ius suum amittit, nec ad officium resignatum reuerti potest sine noua vocatione. Ceterum quid dicendum sit de *renouatione vocationis resignatæ*, speciali dissertatione exposui. Idem quoque dicendum est de *desertore ordinis*. Sed an hic denouo ordinandus sit, si noua vocatione ad idem vel aliud officium ecclesiasticum redeat? ambiguum est. Sane si ex laico aliter clericus fieri nequit, quam mediante ordinatione, quæstio affirmanda videtur.

MEMBRVM II.
De
TRANSLATIONE.

§. I.

PORro resignatio fit in hunc finem, vt vel resignans a sacro ministerio prorsus abstineat, vel vt in aliam ecclesiam transeat, quæ in specie dicitur *TRANSLATIO*, estque nihil aliud, quam *ad aliam ecclesiam, ad præcedentem legitimam vocationem, transitio, relicta priori.*

§. II. Iam olim hæ translationes prohibitæ erant, quia plerumque vel ad maius lucrum captandum vel ob ambitionem fiebant. Obseruarunt id Patres *Concil. Sardic.* in *c.* 1. hanc addentes rationem, *quod nullus adhuc Episcopus inueniri potuerit, qui de ciuitate maiori in minorem transiisset.* Admissæ tamen sunt, quæ ex vtilitate ecclesiæ fierent. Petrus de Marca *de Conc. Sacerd. & imper. lib. VII. c. 8.* de quo cognoscebant metropolitani cum comprouincialibus. Sed Innocentius III. hanc cognitionem sedi Papali reseruauit in *c. 2. X. h. t.* Finxere enim Pontificii matrimonium quoddam spirituale inter ecclesiam & Episcopum, quod solus Papa dissoluere posset, adeo vt ne quidem

dem nuncii apostolici transferre queant. Sed in translatione inferiorum clericorum solius Episcopi consensus necessarius est.

§. III. Ante omnia in translatione requiritur (I) *vtilitas vel necessitas* ecclesiæ *c. 34. 35. C. 7. q. 1. c. 3. X. h. t.* ibi: *ecclesiarum vtilitate & necessitate pensata.* Vtpote si in ecclesia, ad quam vocatus est, plus proficere possit, si a suis auditoribus odio habeatur, si huic ecclesiæ minus aptus est, qui alii aptior esse potest ob tenerrimam forsan vocem. Plerumque hodie in nostris ecclesiis *necessitas* hæc desumitur ex *vocatione* ad aliam ecclesiam, eaque eius conscientiæ committitur. Vtrum vero hæc sufficiat, vt possit *in dubio* relinquere ecclesiam suam, quæ semel ei demandata est, ego dubito, cum nec olim hæc iusta causa translationis habita fuerit *c. 122. C. 1. q. 1.* Duo in vtramque partem argumenta occurrunt: primum ex vocatione, alterum ex vinculo, quo suæ ecclesiæ conglutinatur, desumtum. Vtrumque æqualis roboris censendum, ergo in dubio *ἀπέχειν.*

§. IV. De Iure Canonico (II) Superioris auctoritas necessaria est ad effectum *dispensationis*, vt per hanc contra canones transferri possit. In terris protestantium Consistorii Decretum petitur propter *resignationem*, quæ translationem præcedit, imo &

Patroni alterius ecclesiæ consensus necessarius est, quia in tali translatione noua quædam est collatio.

§. V. Denique (III) consensus transferendi quoque requiritur. Inuitus regulariter transferri nequit, nisi magna causa id suadeat *c. 6. X. de ætat. & qual. ord.* cum etiam inuitus quis ad munus ecclesiasticum subeundum cogi possit *l. 31. C. de Episc. & cleric.* Ziegl. *de cleric. renit.*

§. VI. Rarius translationes renitentium fiunt; frequentius *translocationes*, quæ in genus pœnæ incidunt, quando clerici ob mores pessimos de pinguiore ecclesia contra voluntatem propriam transferuntur in minorem, reditibus haud abundantem, quæ vocari solet eine Pœnitenz - Pfarre. Atque hæc in nostris quoque vsitata est ecclesiis, toties que adhibetur, quoties depositio ministri ecclesiæ non satis tuta iudicatur. Negari tamen nequit, eam multis incommodis esse obnoxiam, relatis a Dn. I. S. Strykio *de translocat. ministr. eccles.*

§. VII. Translatione facta prior ecclesia vacat ipso iure, vt ad electionem vel præsentationem licite progressus fiat. Cessat quoque annus gratiæ, qui tantum in casu mortis locum habet. Alia videtur ratio anni deseruiti, si eo tempore transfera-

ra-

ratur, quo ad salarium illius quadrantis anni petendum iam quodammodo ius habet.

MEMBRVM III.

DE PERMVTATIONE ALIISQVE MODIS AMITTENDI OFFICIA ET BENEFICIA.

§. I.

DEnique resignatio quoque quædam occurrit in PERMVTATIONE officiorum ecclesiasticorum & beneficiorum, quia hæc fit per reciprocam resignationem in fauorem alterius factam: Flamin. *de resignat. lib. II. q. 5. n.* 59. Quia enim officia sacra non sunt priuati arbitrii, & nemo absque legitima vocatione ad officium sacrum adspirare potest, receptum est, vt resignatio talis fiat in manus superioris, qui de nouo cuilibet ecclesias permutatas conferat. Alias merito est prohibita *c. 5. X. de præb. c. 5. X. de rer. permut.* præsertim si ob turpem quæstum fiat.

§. II. Requiritur ergo hic quoque *Auctoritas Superioris*, & apud nos, *Consistorii*, imo

&*Patroni* in ecclesiis patronatis, cum in hac permutatione noua vtrinque fieri debeat collatio ad præcedentem præsentationem, Finckelthaus *de iure patron. c. 5. n. 7.* adeo vt permutationes a Consistoriis, insciis patronis factæ, sint inualidæ. Quodsi tamen horum consensus legitime requisitus fuerit, & vtilitas ecclesiarum permutationem postulet, a Consistorio ad consensum impertiendum cogi possunt, cum salus ecclesiarum suprema lex esse debeat *c. 17. de iur. patron.* Finckelthaus *cit. l.* Ex quo fluit, quod vbi ecclesiæ permutandæ in diuersis territoriis sitæ sunt, vtriusque territorii consistorium concurrere debeat Garcias *de benef. p. II. c. 4. n. 65.*

§. III. Accedere præterea permutationi debet *causæ cognitio*, cum tantum ob vtilitatem vel necessitatem talis permutatio concedi debeat. Permutatione cum consensu eorum, quorum interest, decreta, vacantia reuera talis non oritur, qualis in *resignatione* & *translatione*, adeoque ad electionem nouam procedi nequit, cum antea capitulum in permutationem consentire debeat. Quæ vero beneficia maiora ita vacant, in curia Romana vacare dicuntur, quorum collationes Pontifex sibi reseruauit in *concord. Nat. German.*

§. IV. Amittuntur porro dignitates ecclesiae-

clesiasticæ & beneficia *immediata* in imperio nostro per mutationem religionis, idque vi *reservati ecclesiastici*, quod adeo in I. P. *art. V.* §. 15. extensum, vt si episcopus vel solus vel vna cum capitularibus religionem mutauerint, illi statim iure suo excidant, cum tamen, si capitulum cum suo Episcopo consentiat, præiudicium nullius adsit. Casu tali ergo contingente, statim capitulum ad electionem procedere potest. *cit.* §. 15. Ante Instr. Pacis acriter literis pariter & armis de hoc reseruato disceptatum est, præsertim cum Gebhardus Truchsesius Archiepiscopus Coloniensis, ducta vxore, sacra protestantium amplecteretur. vid. Obrecht *diss. de reseruat. eccles.* donec tandem in I. P. ad æqualitatem quandam res redacta fuerit.

§. V. Huc etiam referunt ingressum in monasterium, sed sine ratione, cum etiam monachus in Episcopum eligi possit, saluis votis. Similiter qui aliud accipit beneficium cum priori incompatibile, prius ipso iure amittit, nisi accedat dispensatio superioris, quæ hodie ordinarie accedere solet. vid. Link. *ad decretal. h. t.* §. 2. Denique sunt etiam modi, quibus quis in pœnam amittit dignitatem ecclesiasticam, de quibus Autor agit *tit. seq.*

MEM-

MEMBRVM IV.

DE STATU ECCLESIAE VACANTIS.

§. I.

Status ecclesiæ vacantis multis incommodis ab omni ætate obnoxius fuit, vti ostendit Augustinus *epist.* 118. inde ad præcauendam diutinam vacationem varia remedia introducta sunt. Scilicet 1) in hunc finem potissimum inuentæ sunt designationes successorum & *coadiutoriæ*, de quibus Autor supra *tit. VII.* §. 15. egit, quod indicat August. *epist.* 110. Conf. Gratianus *ad c. 7. C. 8. q.* 1. II) Circumscriptæ quoque in hunc finem sunt electiones, vt intra certum tempus sub pœna *deuolutionis* fierent *c.* 11. *D.* 50.

§. II. In nostris ecclesiis vacantia communiter ad semestre spatium extenditur, cum magno ecclesiarum incommodo. Tempus hoc in ecclesiis patronatis quoque iure canonico determinatum est, sed non eum in finem, vt præcise ad illud tempus ecclesiæ vacarent, sed vt ad minimum intra illud tempus præsentatio fieret. Ast in nostris ecclesiis propter *annum gratiæ*, viduæ

&

& liberis indultum, fere vacantia ad ſex menſes durat, in quibusdam locis etiam ad annum, quod merito corrigendum eſſe, optime monet Brunnem. *iur. eccl. lib. II. c. 5. §. vlt.*

§. III. Vacat vero eccleſia, ſeu locus in eccleſia vel *abſolute* vel *ſecundum quid.* Hoc contingit, quando paſtor ſuſpenditur vel ob inſtitutam accuſationem, vel ob alios exceſſus, & tunc cura huius eccleſiæ aliis demandatur. Sed ita reuera magis patitur eccleſia, quam Parochus, maxime, ſi ad certum tempus ſuſpenſio decernitur. Fiduciarii paſtores enim non tantam curam eccleſiæ commendatæ adhibere poſſunt, vti quidem propriæ impendunt. Alium ſubſtituere, iniquum eſſe cenſet Carpz. *lib. III. I. E. def.* 116. *n.* 3. cum non vacet eccleſia, quæ ratio tamen eccleſiæ vtilitati repugnat. Præſtaret vel temporales ſuſpenſiones in totum eliminare, vel his admiſſis, alium ſubſtituere, & ſuspenſo in eventum emendationis ſpem de noua promotione facere. Similiter talis vacantia occurrit ob ſenium & morbum ſonticum ordinarii paſtoris, qui tamen haud reſignat, quem in finem in noſtris eccleſiis receptæ ſunt *ſubſtitutiones* Carpz. *lib.* 1. *I. E. def.* 16. & 152. ita vt ſubſtitutus ſpem ſuccedendi conſequatur Id. *cit. l. def.* 18.

§. IV.

§. IV. Si abſolute vacat, ſi quidem adeſt ſenatus eccleſiaſticus, vt in eccleſiis cathedralibus, cura eccleſiæ ad *capitulum* redit. *c.* 7. *C.* 16. *q.* 1. *c.* 6. *C.* 15. *q.* 7. *c.* 23. *D.* 86. M. A. de Dominis *de republ. eccleſ. lib. II. c.* 9. §. 10. *ſqq.* Thomasſinus *de vet. & nov. eccl. diſc. P. I. lib.* 3. *c.* 7. *ſeqq.* Inde non tantum exercet Iurisdictionem eccleſiaſticam, ſed etiam iura territorii, & votum ſeſſionemque in comitiis *I. P. art. V.* §. 21. Non tamen exercet 1) illa quæ ordinis ſunt, 2) functiones perſonales, vt archicancellariatum, adeoque capitulum Moguntinũ non poteſt electores conuoçare ad actum electionis Buxtorff. *ad A. B. concl.* 15. 3] quæ ſunt *gratiæ*, non iurisdictionis, vt collationes beneficiorum vacantium, niſi ipſum capitulum in horum collatione concurrat. Hactenus ergo capitulum eſt immediatum membrum imperii, ſubeſt imperii ſummis tribunalibus, & foro Auſtregarum gaudet. Sed vivente Epiſcopo, eius iurisdictionem agnoſcit, exceptis quibusdam capitulis immediatis, de quibus Gail. 1. *obſ.* 30. *n.* 9.

§. V. In reliquis eccleſiis inferioribus videndum, vtrum plures adſint miniſtri, an vnus. Priori caſu cura vacantis loci reliquis incumbit, cum cura eccleſiæ ſingulis in ſolidum demandata ſit. Poſteriori vero Superintendentibus incumbit, vt vicinis

Pa-

Pastoribus curam ecclesiæ viduatæ iniungant, præscitu Patroni, vti in quibusdam ordin. eccles. prouisum est. Vult quidem Carpz. *lib. I. I. E. def.* 165. præmio aliquo seu honorario horum operam esse compensandam, sed propter annum gratiæ, viduæ & liberis debitum, parum vel nihil lucri ex illa commendatione habebunt, vnde etiam horum opera vtplurimum solet esse superficiaria. Anno gratiæ deficiente, reditus Parochiales fiduciariis recte assignantur, Carpz. *I. E. lib. I. def.* 164. Hanc tamen obligationem vicinorum Pastorum cessare vult idem *cit. def.* 165. si locus ecclesiæ vacantis peste infectus sit, quod temperat Brunnem. in *I. E. lib. II. c.* 5. §. 16.

§. VI. Hæ commendationes ecclesiarum vacantium a multis seculis iam vsitatæ fuere, docente Duarreno *de SS. eccl. minist. lib. V. c.* 7. neque hoc repugnat canonibus, pluralitatem beneficiorum prohibentibus, cum commendatæ ecclesiæ saltim ad tempus retineantur *c.* 3. *C.* 21. *q.* 1. Vocabantur olim hi fiduciarii pastores *intercessores* vel *interventores c.* 22. *C.* 7. *q.* 1. & *visitatores c.* 16. & 19. *D.* 61. vid. Menagius *in amoen. iur. civ. c.* 35. Sed paulatim vsu inualuit, vt commendatæ ecclesiæ in perpetuum a fiduciariis retinerentur, imo ad palliandam pluralitatem beneficiorum introductum est, vt quis v-

nam

nam *titulatam* ecclesiam, plures vero *commendatas* acciperet, quas *commendas* vocarunt, quæ hodie ad instar ordinarii beneficii conferuntur, & a vicariis administrantur. Referuntur hæ inter ordinaria beneficia ecclesiastica in *I. P. art. V.* §. 25.

TIT. XIX.

DE EXCESSIBVS & POENIS CLERICORVM.

§. I.

AD forum ecclesiasticum olim non tantum *lapsus clericorum*, sed etiam *laicorum delicta* spectabant, postquam semel post seculum III. receptum fuit, pœnitentiam de omnibus delictis, etiam *occultis*, esse agendam, adeoque *huius intuitu* Episcopi in omnia delicta inquirebant, eisque vel *publicam* vel *priuatam* imponebant pœnitentiam, quod fusius docet Morinus *de admin. Sacram. pœnit. lib. 1. c. 9. & 10.* Sed postquam Innocentius III. *forum pœnitentiale*, vt aiunt, delegauit Presbyteris & auricularem confessionem inde exstruxit, Episcopi criminalem quandam iurisdictionem, *modo quodam politico*, sibi asseruerunt, vnde tot nata sunt iura cano-

nonica de *delictis publicis*, eisque *processu solemni* vindicandis, imo noua confusio iurisdictionis magistratus *secularis* & *ecclesiastici* inualuit, quae tandem occasionem dedit, vt distingueretur inter delicta *clericorum* & *laicorum*, ita vt illa ad forum Episcopi pertinerent, non illa, nisi essent *ecclesiastica* vel *mixta*. Vid. Espenius *de iur. eccl. P. III. tit. 4. c. 1.*

§. II. Delicta clericorum *grauiora* olim a magistratu seculari vindicabantur *l. 23. C. Theod. de Episc. & cler.* ibique Godofred. *l. 1. C. Theod. de relig. l. 3. C. Theod. de Episc. aud. Nov. 83. praef. §. 2. & c. 1. Nov. 123. c. 21.* sed sensim, *Regum & Caesarum beneficio*, cognitio de delictis clericorum quibuscunque ademta est magistratui ciuili, quod post confirmauit Fridericus *in auth. Statuimus C. de Episc.* quo iure postea Pontifices strenue vsi sunt. *c. 8. & 10. X. de iudic.* Inde in delictis clericorum hunc processum formant, vt de iis conuictus clericus ab ecclesiastico iudice deponatur, & si incorrigibilis deprehensus fuerit, *excommunicatione* & tandem *anathemate* puniatur, & vel carceri perpetuo mancipetur, vel brachio seculari post degradationem tradatur ad poenam subeundam criminalem. *c. 10. cit. c. 2. X. de cleric. excomm.*

tionem clericorum spectant, debuisset etiam post hunc titulum subiicere modos quibus clerici offitium suum amittunt, id quod cum omiserit, defectum hunc supplebo.

MEMBRVM I.

De RESIGNATIONE SEV RENVNTIATIONE.

§. I.

PRimus modus amittendi beneficium sacrum est *RESIGNATIO, quæ est spontanea officii ecclesiastici, ex auctoritatis publicæ concessione facta abdicatio.* Dico, renunciationem esse *abdicationem officii ecclesiastici*, non *ordinis*, huius enim desertionem plane improbant. Differunt in eo, quod *resignatio officii sacri* non tollat ordinem, nec resignantem eximat numero clericorum: ast *renunciatio ordinis* in laicam conditionem detrudit renunciantem, & ex clerico facit laicum.

§. II. Talem vero *desertionem ordinis* damnant Pontificii, præsertim in Concil. Trident. *Sess. XXIII. de ordine c. 4.* eamque *Apostasiam ordinis* dicunt, & delictis ecclesiasticis accensent, quæ hypothesis vnice fluit ex doctrina *de charactere indelebili*, quod non diffitetur Autor noster supra *lib. I. tit.* 14. §. 6.

Pon-

Pontificiorum doctrinam secutus. Merito tamen ab hac recessit Ill. Dn. Thomasius *Diss. de Desert. ordin. eccles.* docens desertionem talem parum honestam, si absque iusta causa fiat, non tamen delictum esse. Cum enim conclusio Pontificiorum fluat ex principio reprobato, merito ipsa conclusio quoque reprobanda erit. Neque olim hæc doctrina, quod ex clerico posset fieri laicus, adeo incognita erat, cum etiam quandoque clerici in pœnam laici fierent, seu *communionem laicam* acciperent, cuius fit mentio in *c.* 10. *seq. D.* 50. *c.* 13. *D.* 55. *c.* 5. *D.* 84. *c.* 118. *C.* 1. *q.* 1. *c.* 1. *C.* 1. *q.* 7. Erat autem communio laica iuxta Albaspinæum *de veter. eccles. ritib. lib. I. obs.* 4. §. 5. nihil aliud, *quam esse in ecclesia & de ecclesia tanquam laicum, ita vt qui ecclesiasticus laicæ communioni deputabatur, gradu suo perpetuo excideret, & ex clerico fieret laicus.* Incognitum ergo eo tempore adhuc fuit Anathema Patrum Tridentinorum, quod ei dicunt, qui docet, ex clerico posse fieri laicum.

§. III. Resignationes vt sint permissæ, requiritur (I) *vt sponte fiant.* Qui metu & vi maiori adactus renunciare debuit, eius resignatio est nulla, sed is in omnia iura amissa restituendus est *c. 2. X. de his quæ vi met. caus.* etiamsi eiurauerit beneficium *c.* 4. *X. eod.* (II) *accedente auctoritate superioris,*

in noſtris eccleſiis, conſiſtorii, absque qua effectum nullum habet, quippe qui illam *iuſta de cauſa* denegare poteſt *c.* 1. *X. h. t.* Patroni conſenſus non de *neceſſitate*, ſed tantum *honeſtate* requiritur Carpz. *P.* 2. *I.E. Def.* 125. adeo vt ſi in eius manus facta fuerit, ſine auctoritate conſiſtorii, ea nullam habeat firmitatem *c. 8. X. h. t.*

§. IV. Fiat (III) *iuſta de cauſa.* Probatæ ſex cauſæ ſunt in *c.* 10. *X, h. t.*, quæ hoc verſiculo continentur:

Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Imprimis huc canoniſtæ referunt *conſcientiam criminis*, maxime *occulti*, ob quod ſæpe Epiſcopi ſeſe ſponte pœnitentiæ eccleſiaſticæ ſubiecerunt & reſignarunt. Vid. Albaſpinæus *de Veter. rit. eccl. lib. II. obſ.* 34. §. 11. Samuel Basnage *Tom. II. annal. ad ann.* 254. §. 4. Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. lib. VII. c.* 25. Præter has cauſas alias admitti poſſe, præſertim in eccleſiis noſtris, dubium non habet, quæ arbitrio iudicis reſeruantur.

§. V. Renunciatio fit vel *abſolute* & *ſimpliciter*, vel ſub certo *modo* vel *conditione*. Poſterius fit: (I) Si reſignans ſibi reſeruat aliquam

quam pensionem, vel reditum ex beneficio, quod, iusta causa suadente, admitti potest. Engel *in colleg. I. Can. h. t. n.* 10. etiam in ecclesiis protestantium. Carpz. *Lib.* 1. *I. E. Def.* 153. *seq.* (II) Si fiat in fauorem tertii. Hæc regulariter est prohibita, quia raro absque pactis clandestinis quæstuosis esse solet. Quodsi tamen turpis quæstus nullus subesset, facilius, ceteris paribus, admitti posset, qua ratione hodie excusari solent resignationes præbendarum in fauorem tertii. Confer. Duarrenus *de benef. eccles. lib. VIII. c.* 2. Quia tamen ita tertio de nouo beneficium conferendum est, hæc renunciatio fieri debet cum consensu Patroni, ne in præiudicium præsentationis ipsi competentis hæc fiat. Finckelthaus *de Iur. Patron. c. II. n.* 23.

§. VI. Resignatione facta, & a superiore admissa, resignans omne ius suum amittit, nec ad officium resignatum reuerti potest sine noua vocatione. Ceterum quid dicendum sit de *renouatione vocationis resignatæ*, speciali dissertatione exposui. Idem quoque dicendum est de *desertore ordinis.* Sed an hic de nouo ordinandus sit, si noua vocatione ad idem vel aliud officium ecclesiasticum redeat? ambiguum est. Sane si ex laico aliter clericus fieri nequit, quam mediante ordinatione, quæstio affirmanda videtur.

Membrvm II.

De

TRANSLATIONE.

§. I.

Porro reſignatio fit in hunc finem, vt vel reſignans a ſacro miniſterio prorſus abſtineat, vel vt in aliam eccleſiam tranſeat, quæ in ſpecie dicitur *TRANSLATIO*, eſtque nihil aliud, quam *ad aliam eccleſiam, ad præcedentem legitimam vocationem, tranſitio, relicta priori.*

§. II. Iam olim hæ translationes prohibitæ erant, quia plerumque vel ad maius lucrum captandum vel ob ambitionem fiebant. Obſeruarunt id Patres *Concil. Sardic.* in *c.* 1. hanc addentes rationem, *quod nullus adhuc Epiſcopus inueniri potuerit, qui de ciuitate maiori in minorem tranſiiſſet.* Admiſſæ tamen ſunt, quæ ex vtilitate eccleſiæ fierent. Petrus de Marca *de Conc. Sacerd. & imper. lib. VII. c. 8.* de quo cognoſcebant metropolitani cum comprouincialibus. Sed Innocentius III. hanc cognitionem ſedi Papali reſeruauit in *c. 2. X. h. t.* Finxere enim Pontificii matrimonium quoddam ſpirituale inter eccleſiam & Epiſcopum, quod ſolus Papa diſſoluere poſſet, adeo vt ne quidem

dem nuncii apostolici transferre queant. Sed in translatione inferiorum clericorum solius Episcopi consensus necessarius est.

§. III. Ante omnia in translatione requiritur (l) *vtilitas vel necessitas* ecclesiæ *c. 34. 35. C. 7. q. 1. c. 3. X. h. t.* ibi: *ecclesiarum vtilitate & necessitate pensata.* Vtpote si in ecclesia, ad quam vocatus est, plus proficere possit, si a suis auditoribus odio habeatur, si huic ecclesiæ minus aptus est, qui alii aptior esse potest ob tenerrimam forsan vocem. Plerumque hodie in nostris ecclesiis *necessitas* hæc desumitur ex *vocatione* ad aliam ecclesiam, eaque eius conscientiæ committitur. Vtrum vero hæc sufficiat, vt possit *in dubio* relinquere ecclesiam suam, quæ semel ei demandata est, ego dubito, cum nec olim hæc iusta causa translationis habita fuerit, *c. 122. C. 1. q. 1.* Duo in vtramque partem argumenta occurrunt: primum ex vocatione, alterum ex vinculo, quo suæ ecclesiæ conglutinatur, desumtum. Vtrumque æqualis roboris censendum, ergo in dubio ἀπέχειν.

§. IV. De Iure Canonico (II) Superioris auctoritas necessaria est ad effectum *dispensationis*, vt per hanc contra canones transferri possit. In terris protestantium Consistorii Decretum petitur propter *resignationem*, quæ translationem præcedit, imo &

Patroni alterius ecclesiæ consensus necessarius est, quia in tali translatione noua quædam est collatio.

§. V. Denique (III) consensus transferendi quoque requiritur. Inuitus regulariter transferri nequit, nisi magna causa id suadeat *c. 6. X. de ætat. & qual. ord.* cum etiam inuitus quis ad munus ecclesiasticum subeundum cogi possit *l. 31. C. de Episc. & cleric.* Ziegl. *de cleric. renit.*

§. VI. Rarius translationes renitentium fiunt: frequentius *translocationes*, quæ in genus pœnæ incidunt, quando clerici ob mores pessimos de pinguiore ecclesia contra voluntatem propriam transferuntur in minorem, reditibus haud abundantem, quæ vocari solet eine Pœnitenz - Pfarre. Atque hæc in nostris quoque vsitata est ecclesiis, totiesque adhibetur, quoties depositio ministri ecclesiæ non satis tuta iudicatur. Negari tamen nequit, eam multis incommodis esse obnoxiam, relatis a Dn. I. S. Strykio *de translocat. ministr. eccles.*

§. VII. Translatione facta prior ecclesia vacat ipso iure, vt ad electionem vel præsentationem licite progressus fiat. Cessat quoque annus gratiæ, qui tantum in casu mortis locum habet. Alia videtur ratio anni deseruiti, si eo tempore transfe-

ratur, quo ad salarium illius quadrantis anni petendum iam quodammodo ius habet.

MEMBRVM III.

DE PERMVTATIONE ALIISQVE MODIS AMITTENDI OFFICIA ET BENEFICIA.

§. I.

DEnique resignatio quoque quædam occurrit in PERMVTATIONE officiorum ecclesiasticorum & beneficiorum, quia hæc fit per reciprocam resignationem in fauorem alterius factam: Flamin. *de resignat. lib. II. q. 5. n.* 59. Quia enim officia sacra non sunt priuati arbitrii, & nemo absque legitima vocatione ad officium sacrum adspirare potest, receptum est, vt resignatio talis fiat in manus superioris, qui de nouo cuilibet ecclesias permutatas conferat. Alias merito est prohibita *c.* 5. *X. de præb. c.* 5. *X. de rer. permut.* præsertim si ob turpem quæstum fiat.

§. II. Requiritur ergo hic quoque *Auctoritas Superioris*, & apud nos, *Consistorii*, imo

& *Patroni* in ecclesiis patronatis, cum in hac permutatione noua vtrinque fieri debeat collatio ad præcedentem præsentationem, Finckelthaus *de iure patron. c. 5. n. 7.* adeo vt permutationes a Consistoriis, insciis patronis factæ, sint inualidæ. Quodsi tamen horum consensus legitime requisitus fuerit, & vtilitas ecclesiarum permutationem postulet, a Consistorio ad consensum impertiendum cogi possunt, cum salus ecclesiarum suprema lex esse debeat *c. 17. de iur. patron.* Finckelthaus *cit. l.* Ex quo fluit, quod vbi ecclesiæ permutandæ in diuersis territoriis sitæ sunt, vtriusque territorii consistorium concurrere debeat Garcias *de benef. p. II. c. 4. n. 65.*

§. III. Accedere præterea permutationi debet *causæ cognitio*, cum tantum ob vtilitatem vel necessitatem talis permutatio concedi debeat. Permutatione cum consensu eorum, quorum interest, decreta, vacantia reuera talis non oritur, qualis in *resignatione* & *translatione*, adeoque ad electionem nouam procedi nequit, cum antea capitulum in permutationem consentire debeat. Quæ vero beneficia maiora ita vacant, in curia Romana vacare dicuntur, quorum collationes Pontifex sibi reseruauit in *concord. Nat. German.*

§. IV. Amittuntur porro dignitates ecclesiasticæ

clesiasticæ & beneficia *immediata* in imperio nostro per mutationem religionis, idque vi *reservati ecclesiastici*, quod adeo in I. P. *art. V.* §. 15. extensum, vt si episcopus vel solus vel vna cum capitularibus religionem mutauerint, illi statim iure suo excidant, cum tamen, si capitulum cum suo Episcopo consentiat, præiudicium nullius adsit. Casu tali ergo contingente, statim capitulum ad electionem procedere potest. *cit.* §. 15. Ante Instr. Pacis acriter literis pariter & armis de hoc reseruato disceptatum est, præsertim cum Gebhardus Truchsesius Archiepiscopus Coloniensis, ducta vxore, sacra protestantium amplecteretur. vid. Obrecht *diss. de reseruat. eccles.* donec tandem in I. P. ad æqualitatem quandam res redacta fuerit.

§. V. Huc etiam referunt ingressum in monasterium, sed sine ratione, cum etiam monachus in Episcopum eligi possit, saluis votis. Similiter qui aliud accipit beneficium cum priori incompatibile, prius ipso iure amittit, nisi accedat dispensatio superioris, quæ hodie ordinarie accedere solet. vid. Link. *ad decretal. h. t.* §. 2. Denique sunt etiam modi, quibus quis in pœnam amittit dignitatem ecclesiasticam, de quibus Autor agit *tit. seq.*

MEM-

Membrvm IV.

DE STATU ECCLESIAE VACANTIS.

§. I.

Status ecclesiæ vacantis multis incommodis ab omni ætate obnoxius fuit, vti ostendit Augustinus *epist.* 118. inde ad præcauendam diutinam vacationem varia remedia introducta sunt. Scilicet 1) in hunc finem potissimum inuentæ sunt designationes successorum & *coadiutoriæ*, de quibus Autor supra *tit. VII.* §. 15. egit, quod indicat August. *epist.* 110. Conf. Gratianus *ad c. 7. C. 8. q.* 1. II) Circumscriptæ quoque in hunc finem sunt electiones, vt intra certum tempus sub pœna *deuolutionis* fierent *c.* 11. *D.* 50.

§. II. In nostris ecclesiis vacantia communiter ad semestre spatium extenditur, cum magno ecclesiarum incommodo. Tempus hoc in ecclesiis patronatis quoque iure canonico determinatum est, sed non eum in finem, vt præcise ad illud tempus ecclesiæ vacarent, sed vt ad minimum intra illud tempus præsentatio fieret. Ast in nostris ecclesiis propter *annum gratiæ*, viduæ

&

& liberis indultum, fere vacantia ad sex menses durat, in quibusdam locis etiam ad annum, quod merito corrigendum esse, optime monet Brunnem. *iur. eccl. lib. II. c. 5. §. vlt.*

§. III. Vacat vero ecclesia, seu locus in ecclesia vel *absolute* vel *secundum quid.* Hoc contingit, quando pastor suspenditur vel ob institutam accusationem, vel ob alios excessus, & tunc cura huius ecclesiæ aliis demandatur. Sed ita reuera magis patitur ecclesia, quam Parochus, maxime, si ad certum tempus suspensio decernitur. Fiduciarii pastores enim non tantam curam ecclesiæ commendatæ adhibere possunt, vti quidem propriæ impendunt. Alium substituere, iniquum esse censet Carpz. *lib. III. I. E. def.* 116. *n.* 3. cum non vacet ecclesia, quæ ratio tamen ecclesiæ vtilitati repugnat. Præstaret vel temporales suspensiones in totum eliminare, vel his admissis, alium substituere, & suspenso in euentum emendationis spem de noua promotione facere. Similiter talis vacantia occurrit ob senium & morbum sonticum ordinarii pastoris, qui tamen haud resignat, quem in finem in nostris ecclesiis receptæ sunt *substitutiones* Carpz. *lib.* 1. *I. E. def.* 16. & 152. ita vt substitutus spem succedendi consequatur. Id. *cit. l. def.* 18.

§. IV.

§. IV. Si absolute vacat, si quidem adest senatus ecclesiasticus, vt in ecclesiis cathedralibus, cura ecclesiæ ad *capitulum* redit. *c.* 7. *C.* 16. *q.* 1. *c.* 6. *C.* 15. *q.* 7. *c.* 23. *D.* 86. M. A. de Dominis *de republ. eccles. lib. II. c.* 9. §. 10. *sqq.* Thomassinus *de vet. & nov. eccl. disc. P. I. lib.* 3. *c.* 7. *seqq.* Inde non tantum exercet Iurisdictionem ecclesiasticam, sed etiam iura territorii, & votum sessionemque in comitiis *I. P. art. V.* §. 21. Non tamen exercet 1) illa quæ ordinis sunt, 2) functiones personales, vt archicancellariatum, adeoque capitulum Moguntinū non potest electores conuocare ad actum electionis Buxtorff. *ad A. B. concl.* 15. 3] quæ sunt *gratiæ*, non iurisdictionis, vt collationes beneficiorum vacantium, nisi ipsum capitulum in horum collatione concurrat. Hactenus ergo capitulum est immediatum membrum imperii, subest imperii summis tribunalibus, & foro Austregarum gaudet. Sed vivente Episcopo, eius iurisdictionem agnoscit, exceptis quibusdam capitulis immediatis, de quibus Gail. 1. *obs.* 30. *n.* 9.

§. V. In reliquis ecclesiis inferioribus videndum, vtrum plures adsint ministri, an vnus. Priori casu cura vacantis loci reliquis incumbit, cum cura ecclesiæ singulis in solidum demandata sit. Posteriori vero Superintendentibus incumbit, vt vicinis

Pa-

Paſtoribus curam eccleſiæ viduatæ iniungant, præſcitu Patroni, vti in quibusdam ordin. eccleſ. prouiſum eſt. Vult quidem Carpz. *lib. I. I. E. def.* 165. præmio aliquo ſeu honorario horum operam eſſe compenſandam, ſed propter annum gratiæ, viduæ & liberis debitum, parum vel nihil lucri ex illa commendatione habebunt, vnde etiam horum opera vt plurimum ſolet eſſe ſuperficiaria. Anno gratiæ deficiente, reditus Parochiales fiduciariis recte aſſignantur. Carpz. *I. E. lib. I. def.* 164. Hanc tamen obligationem vicinorum Paſtorum ceſſare vult idem *cit. def.* 165. ſi locus eccleſiæ vacantis peſte infectus ſit, quod temperat Brunnem. in *I. E. lib. II. c. 5.* §. 16.

§. VI. Hæ commendationes eccleſiarum vacantium a multis ſeculis iam vſitatæ fuere, docente Duarreno *de SS. eccl. miniſt. lib. V. c. 7.* neque hoc repugnat canonibus, pluralitatem beneficiorum prohibentibus, cum commendatæ eccleſiæ ſaltim ad tempus retineantur *c. 3. C. 21. q. 1.* Vocabantur olim hi fiduciarii paſtores *intercesſores* vel *interventores c. 22. C. 7. q. 1.* & *viſitatores c. 16. & 19. D. 61.* vid. Menagius *in amœn. iur. civ. c. 35.* Sed paulatim vſu inualuit, vt commendatæ eccleſiæ in perpetuum a fiduciariis retinerentur, imo ad palliandam pluralitatem beneficiorum introductum eſt, vt quis vnam

nonica de *delictis publicis*, eisque *processu solenni* vindicandis, imo noua confusio iurisdictionis magistratus *secularis* & *ecclesiastici* inualuit, quae tandem occasionem dedit, vt distingueretur inter delicta *clericorum* & *laicorum*, ita vt illa ad forum Episcopi pertinerent, non illa, nisi essent *ecclesiastica* vel *mixta*. Vid. Espenius *de iur. eccl. P. III. tit. 4. c. 1.*

§. II. Delicta clericorum *grauiora* olim a magistratu seculari vindicabantur *l. 23. C. Theod. de Episc. & cler.* ibique Godofred. *l. 1. C. Theod. de relig. l. 3. C. Theod. de Episc. aud. Nov. 83. praef. §. 2. & c. 1. Nov. 123. c. 21.* sed sensim, *Regum & Caesarum beneficio*, cognitio de delictis clericorum quibuscunque ademta est magistratui ciuili, quod post confirmauit Fridericus *in auth. Statuimus C. de Episc.* quo iure postea Pontifices strenue vsi sunt. *c. 8. & 10. X. de iudic.* Inde in delictis clericorum hunc processum formant, vt de iis conuictus clericus ab ecclesiastico iudice deponatur, & si incorrigibilis deprehensus fuerit, *excommunicatione* & tandem *anathemate* puniatur, & vel carceri perpetuo mancipetur, vel brachio seculari post degradationem tradatur ad poenam subeundam criminalem. *c. 10. cit. c. 2. X. de cleric. excomm.*

N §. III.

§. III. Sed hæc immunitas clericorum non vbique illibata mansit, sed hinc inde imminuta est. Espen. *de iur. eccles. P.*3. *tit.* 3. *c.* 2. & 3. In foris Protestantium fere in plerisque ad iura pristina reditum est. Nam de *excessibus clericorum leuioribus* cognoscit consistorium, & pœnas ecclesiasticas infligit Brunnem *de I. E. lib. III. c.* 1. §. 20. In *grauioribus* vero sceleribus *generalis* quidem inquisitio relicta est consistorio, sed *specialis* magistratui ciuili reseruata, quatenus a Consistorio desuper admonitus est. *Id. cit. l.*

§. IV. Delicta laicorum, prout dixi, etiam spectant ad forum ecclesiasticum, si sunt *ecclesiastica* vel *mixta*, & ita clerici quoque ob hæc crimina a foro ecclesiastico iudicantur. *Illa* dicuntur, quæ tantum spectant fidem, religionem & sacra, Matthæi *introd. ad ius Can. lib. III. tit.* 4. *Hæc* vero, quæ simul respectum *delicti ciuilis* continent, vt adulterium, concubinatus, Sodomia, sacrilegium, vsuraria prauitas, quæ tamen magno legum principumque ludibrio Pontificii ad forum suum quoque traxerunt, quia enim hæc sine euidente calumnia sibi solis vindicare non potuere, callido commento mixta dixere. Anton Matthæi *de criminib. in proleg. c. IV.* §. *6.* Adeoque merito huiusmodi crimina a *laicis* commissa inter Pro-

te-

testantes in foro seculari vindicantur, nisi quatenus ob hæc contra *clericos* ad suspensionem vel depositionem agi queat. Brunnem. *in iur. eccl. lib. 2. c. 18. §. 4.*

§. V. Ad *delicta* mere *ecclesiastica* referunt (l) *Haresin*, quæ aliter in *foro theologico*, aliter in *foro ciuili* definitur. Hoc modo est *dissensus constans ab orthodoxia*, vel vt dicitur in *l. 2. §. 1. C. de Haret.* est *deuiatio a iudicio catholica religionis & tramite* seu formula fidei publice præscripta. *Orthodoxia* in sensu ciuili est *religio dominans & publice approbata*, vnde quia tres religiones in imperio dominantur, & in I. P. approbatæ sunt, *in sensu ciuili orthodoxa* habentur, nec dissensus, licet grauissimus sit, hæresin constituit. Cautum proinde in *I. P. art. 5. §. 35.* quod siue Catholici, siue A. C. fuerint subditi, nullibi ob religionem despicatui haberi, nec a mercatorum, opificum aut tribuum comunionib⁹, hereditatibus, legatis, hospitalibus, leprosoriis, eleemosynis aliisue iuribus & commerciis, multo minus publicis coemeteriis honoreue sepulturæ arceri debeant: quæ omnia ex principiis Romanæ ecclesiæ sese aliter habere deberent, si veram hæresin Protestantibus obiicere in *sensu ciuili* possent.

§. VI. Sunt ergo in imperio nostro hæretici dicendi, qui diuersam a tribus approbatis

batis religionibus sectam profitentur, & ab articulis fidei illarum religionum approbatarum recedunt. Hi tamen rursus non ex Doctorum opinionibus, sed ex *publica doctrina*, petendi sunt. Catalogus Hæreticorum refertur *c. 39. C. 24. q. 3.* Non autem sunt hæretici in sensu ciuili, qui tantum in adiaphoris dissentiunt, quamuis clerus R. ex his facile articulos fidei facere possit. Porro hæreticorum numero eos eximunt, qui errorem suum agnoscunt, & eiurant: pertinaciam enim requirunt *c. 28. C. 24. q. 3.* vt scienter in errore permaneant. Sed ita vix vllus hæreticus erit, quia nemo, nisi qui sanæ mentis non est, scienter errabit.

§. VII. Hæresis instar *criminis læsæ Maiestatis* habetur, & punitur, quia *conspirationem adversus ecclesiam* h. e. *regnum cleri* continet *c. 39. in f. c. 24. q. 3.* Proinde hæretici excommunicantur & extorres iudicantur *c. 12. c. pen. X. h. t.* omniumque iurium exercitio priuantur, veluti quod non possint succedere *l. 19. C. de hæret.*, nec legatum aut fideicommissum accipere *l. f. C. eod.* nec testamentum condere *c. 13. X. h. t.* nec postulare nec testimonium dicere: mulieres hæreticæ non gaudent priuilegio dotis *Nov. 109. c. 1.* liberi vel parentes hæretici necessario exhæredandi sunt, remouentur a publicis officiis

c. 13.

c. 13. §. *credentes b.* ipsum imperium supremum amittunt *c. 16. X. b. t.* bona mortuorum confiscantur, nec orthodoxis liberis reseruantur *c. 10. X. b. t.* ecclesiastica sepultura priuantur *c. cit. 13.* Denique declarati hæretici traduntur brachio seculari, vt comburantur. Imo iisdem subiacent pœnis, *qui inuenti fuerint sola suspicione notabiles*, nisi possint congrua purgatione propriam innocentiam purgare *c. 9. X. b. t.* Huic Tyrannidi subiacent porro magistratus ciuiles, qui ecclesiam contra hæreticos defendere recusant *c. 9. b. t.* Et quis omnes Tyrannidis sacræ species referret?

§. VIII. Equidem pœnam *excommunicationis* sed non cum iisdem effectibus, nostrates quoque in hæreticos probant; imo & contumaces tandem exilio mulctandos esse aiunt. Carpz. *pr. crim. qu. 44. n. 30.* quod plerumque ad hæreses nouas restringere solent. Sed ita parum recedimus a Pontificiorum doctrina: magis autem a doctrina Christi. Sufficere vtique posset *præceptum de emigrando*, si tolerantia displiceret. Satis notanter Autor *meditat. ad L. P. art. VII. in f. p. 866. Quodsi hac imitamur Protestantes aliquanto mitioribus remediis, veluti exilio, fustigatione, censura ecclesiastica & similibus, haud existimare nos oportet, ita recte ex ordine a nobis sic-*

ri. Saltim enim gradu aliquo peccamus mitius, culpa omni non vacabimus.

§. IX. Denique non desunt, qui ne quidem hæreticos in imperio tolerari posse censent. In *l. P. art. VII.* §. 2. *in f.* cautum est, *quod præter religiones approbatas nulla alia in sacro imperio R. recipiatur vel toleretur.* Verum hoc de *publico* religionis *exercitio* intelligendum esse, recte censet Autor *medit. cit. l.* priuata singulorum tolerantia haud prohibita est. Admissa tali tolerantia inter Protestantes, hæretici quoque in iis locis iurium communium capaces sunt.

§. X. Ab Hæreticis distinguunt *Schismaticos*, qui, salua fide, a communione reliquarum ecclesiarum recedunt. Olim communio inter omnes ecclesias obtinebat, quæ sæpe scindebatur ob lites de principatu vel aliis causis indifferentibus. Tale schisma sæpius euenit inter orientalem & occidentalem ecclesiam & adhuc durat. Postquam vero Pontifex R. omnes ecclesias pedo suo subiecit, schismaticus dicitur, qui subiectioni sedis R. se subducit. Circa annum 1640. Papa admodum metuebat, ne schisma in Gallia fieret per noui Patriarchatus institutionem, cuius rei seriem recensui in *observ. I. ad Petrum de Marca lib. I. de C. S. & I. c. 1.* Hi Schismatici dicuntur extra ecclesiam constituti h. e. extra iugum papale,

&

& ita extra omnem ſpem ſalutis poſiti. Verum talem ſchismatis definitionem non nouit primitiua eccleſia.

§. XI. Hæreticis quoque accenſent *Simoniacos c. 19. ſeqq. C. 1. q. 1. c. 13. C. 1. q. 3. c. 27. C. 1. q. 7.* Stricte dicitur *SIMONIA conatus vendendi gratiam Spiritus S. pro pretio.* Potiſſimum olim circa *ordinationem* notata fuit, quippe in qua putant per *impoſitionem manus* Spiritum S. ordinatis dari, (vid. Concil. Trid. *Seſſ. XXIII. de ordine c. 4.*) & ita eum reuera vendi, ſi pro ordinatione pecunia ſumatur *c. 21. C. 1. q. 1.* Latius poſtea extenſa ad quascunque res ſpirituales vel quaſi, adeo vt qui officium eccleſiaſticum vel præbendas pretio interueniente acquirit, Simoniacus dicendus ſit, quamuis reipſa ne quidem vmbra illius peccati concurrat, cuius Simonem Petrus inſimulauit. Interim prætextus nunquam Pontificiis defuit ſub ſpecie fucatæ pietatis vid. *c. 8. C. 1. q. 3.* De vitio Simoniæ ex mente Canoniſtarum diſſertatione prolixa agit Espen *p. IV. Iur. eccleſ.*

§. XII. Requirunt autem *conuentionem interuenientem*, absque qua in foro externo Simoniam haud committi volunt, licet *mente* forſan intendatur. Deinde plura ſubterfugia adduntur, quibus Simonia facile tegi poteſt, veluti ſi quis aliquid accipiat

 non

non tanquam pro re sacra, sed pro externo labore &c.

§. XIII. Hoc crimen quoque crimini læsæ maiestatis æquiparatur *l. 31. C. de Episc. & cler.* & ita in his tribus criminibus eundem processum obseruandum esse volunt, qui in crimine perduellionis obtinet, veluti quod quilibet, alias inhabilis, ad accusandum admittatur, testes inhabiles haud repellantur *c. 21. X. b. t.* quod procedatur de simplici & plano, absque interuentu aduocatorum *c. 20. de haeret. in 6.* ibique glossa &c. De Simonia conuicti Clerici deponuntur & laici excommunicantur.

§. XIV. Iisdem pœnis, quibus Hæretici plectuntur, obnoxii sunt *Apostatæ*, qui a fide christiana in totum descifcunt, & ad Paganismum vel Iudaismum deflectunt *c. 1. X. de Apost.* Hac ex ratione in sagas pœna ignis statuta est, quia Apostasian dicuntur committere, imo etiam testamenti factionem eis ob eandem causam denegandam esse vult Richter. *P. 1. Decis. 57.*

§. XV. Magiæ speciem quoque *Sortilegia* esse censent, quæ omnes diuinationum illicitarum species complectuntur. Huc imprimis pertinent sortes sanctorum seu Apostolorum *c. 1. C. 26. q. 1. c. 3. C. 26. q. 2.* quorum ratio & methodus traditur *Tom. IV. obseru. Hall.* 13. Conf. Linkius *de sortib. Apost.*

Ideo

Ideo autem speciem magiæ habere sortilegia volunt, quod vel expressum vel tacitum pactum cum Diabolo interuenire soleat. Espen. *in iur. eccl. P. III. tit. 4. c. 3.* §. 10. Pœna eadem hic obtinet in iure Canonico, quæ in Hæreticos & Apostatas est statuta.

§. XVI. His proximum est *sacrilegium*, quod in genere dicitur, quoties quid circa res diuinas committitur. Sic sacrilegus dicitur, qui subtrahit laicis calicem *c. 12. de consecr. D. 2.* qui contemnit verbum diuinum, qui Deum blasphematur *l. 34. C. de Apost.* & in genere qui Simoniam, hæresin &c. committit. Similiter qui res sacras violat, & personis ecclesiasticis vim infert, quod vt crimen publicum in Deum commissum puniendum *l. 10. C. de Episc. & cler. Auth. Sed nouo C. eod.* Porro qui sacra turbat, quod aliquando vltimo supplicio afficitur, si ministro ecclesiæ, dum sacra facit, vis infertur, vt sacra hoc modo turbentur, *cit. Auth. Nov. 123. c. 31.* Carpz. *Pr. crim. qu. 44. n. vlt.* Denique qui ministro publice, dum verba ad populum facit, obloquitur, qui relegatione punitur Carpz. *lib. III. I. E. Def. 95. n. 16.* Cetera crimina, quia in foris Protestantium pro mere secularibus habentur, hic non persequar.

§. XVII. Modus procedendi vsque ad seculum XII. in delictis simplicissimus fuit. Quia Episcopis cura animarum per totam Dioecesin erat demandata, inde tanquam vigiles industrii inquirebant in quaecunque crimina ad effectum poenitentiae imponendae seu ad ipsius peccatoris reconciliationem. Creditum enim fuit, peccatum absque *satisfactione* remitti non posse, & ita magis tanquam *Pastores animarum*, quam *iudices* inquirebant; nec solennitatem processus obseruabant, donec seculo XII. relicto foro poenitentiali, tanquam *iudices* in criminalibus procedere inceperint. Espen *de I. eccles. P. III. tit.* 4. *c.* 1. Hoc facto, modus procedendi in criminalibus ex Legibus fuit desumtus.

§. XIIX. Triplicem modum procedendi demonstrant per *c.* 24. *X. de accus.* scilicet per *accusationem*, *inquisitionem* & *denunciationem*. Via *accusationis* ex regulis iuris ciuilis vnice instructa est, & rectius ex sede propria addiscitur. Via *inquisitionis* iuri canonico vnice debetur; inquirebant olim, vt dictum est, Episcopi in quaeuis delicta, non ad processum criminalem formandum, sed vt poenitentiam delinquentibus indicerent. Postquam vero seculo XII. iudicia criminalia exstruxerunt, & quaedam crimina sibi reseruarunt, via hactenus vsitata in

fore

foro pœnitentiali, vt loquuntur, traducta est ad forum externum criminale. Hanc Pontifices sedulo promouerunt per submissos generales inquisitores, qui circa reformandam ecclesiam & ab hæreticis purgandam solliciti erant, quod papa se pastorem vniversalem omnium ecclesiarum crederet. Talis fuit Bonifacius, Germanorum Apostolus dictus, de quo in chronico Hamelensi apud Dn. Leibnitium *tom. II. script. Brunsuic. p. 508.* ita: *Autoritate Apostolica inquisitor hæreticæ prauitatis extiterat, vnde adiutorio dicti regis Pipini multos hæreticos exterminavit, & igni tradidit comburendas, & quatuor synodos generales intimauit, & in Alemannia multa mirabilia fecit.* Ex hac inquisitione in hæreticos originem traxisse *iudicia occulta* apud Germanos, *Vehmica* scilicet *Vemeding*, censet Ill. Leibnitius *in introd. tom. III. script. Brunsuic. p. 14.* quæ maxime in Westphalia inualuere, prætextu, impios, sagas & hæreticos persequendi. Ipsi inquisitores generales adigebant clericos illius ecclesiæ, ad quam missi erant, ad iuramentum præstandum, vt iurarent, *quod super his, quæ scirent & crederent, esse in sua ecclesia reformanda, tam in capite quam in membris (exceptis occultis criminibus) meram & plenam dicerent inquisitoribus veritatem c. 17. X. de accusat. in f.* Hi ergo procedebant sine omnibus iu-

indiciis, eamque inquisitionem vocabant *generalem*. Gonzalez *ad c.* 21. *X. de accus. n.* 10.

§. XIX. Specialis inquisitio instruitur contra certam personam, praecedente *clamore* aut *diffamatione* vel *denunciatione*, vbi officium accusatoris supplet fama vel clamor publicus *c.* 24. *X. de accusat.* Debet tamen ante omnia constare de corpore delicti, nisi sit delictum *facti transeuntis*, vbi sufficit, per coniecturas de eo constare *c.* 21. *X. de accus.* Inquisitione instituta, reus legitime interrogandus, & ad defensionem admittendus, quem in finem ei dicta & nomina testium sunt publicanda, ne ei quid subtrahatur, quod defensionem eius possit impedire. *c.* 24. *X. eod.*

§. XX. Quod si reus factum negauerit, nec tamen de eo plene conuictus sit, olim purgatio vulgaris *per aquam frigidam*, adhibebatur, de cuius ritu vid. Espen. *P.* 3. *Iur. eccl. lib.* 8. *c.* 4. Similis purgatio erat per *ferrum candens*, cuius exemplum refertur in *annal. Hildeshemens. ad ann.* 1028. apud Dn. Leibnitium *in script. Brunsuic. tom.* 1. *p.* 725. & *in vita Meinuverci p.* 558. quae dici solebat *iudicium ferri igniti* Ibid. *p.* 563. sicut prior purgatio *iudicium aquae frigidae* dicebatur. vid. *Histor. de Guelfis* apud ill. Leibnit. *cit. l. p.* 783. Huc etiam pertinebat purgatio per sumtionem Eucharistiae *c.* 23. & *f. C.* 2. *qu.* 5. per du-

duellum *c.1.2.X. de purgat. vulg.* Hac postea sublata, *purgatio canonica* cum compurgatoribus facienda retenta est, cuius exemplum refert Ditmarus *lib. VI. circa f.* vel *iuramentum in reliquiis* præstandum. vid. *vita Meinvvercii cit. l. p.563.*

§. XXI. De vsu *Torturæ*, in his iudiciis adhibendæ, nihil certi constat, quamuis iam seculo XIII. eius usus in secularibus iudiciis notus fuerit. Sic enim in *Chron.* Bothonis *Brunsuic. ad ann.* 1286. apud Dn. Leibnit. *tom. III. script. Brunsuic. p.371.* dicitur: *Keyser Roleff de greyp ön, vnde leyt ön fragen mit der vnuernunfft* (per torturam) *da bekande hey &c.* Sed satis credibile est, inquisitores hæreticæ prauitatis torturas potissimum commendasse & adhibuisse, vid. Matth. *introd. in ius can. lib. III. tit. 4. p.282.* quamuis rariorem eius usum in foris ecclesiasticis esse arbitretur Espen. *in Iur. eccl. P. III. tit. 8. c.3. in f.*

TIT. XX.

DE IVRE LAICORVM SIVE PAROECIANORVM.

§. I.

IN primitiua ecclesia iura laicorum satis magna erant, docente Blondello *de iure ple-*

plebis in regim. eccles. sed ambitione Episcoporum ita imminuta sunt, vt nihil vel parum iuris iis relictum sit, excepta sola parendi gloria. Agnoscit hoc ipsum ius canonicum, quo de *iure laicorum* nullus occurrit titulus, vt magis de *obligatione*, quam de *iure* laicorum hodie agi debeat. Cum vero laici in statum *subiectionis* abiecti sint, & certæ ecclesiæ adscripti, postulat ratio iuris, vt de qualitate *Parœcianorum* dispiciam9, quia hanc doctrinam Autor omisit.

§. II. Parœcianus dicitur, qui ecclesiæ Parochiali tanquam *glebæ* adscriptus est. Olim Diœceses quoque *Parochiæ* dictæ sunt *c. 10. C. 9. q. 1.* Postmodum districtus ecclesiarum Parochialium ita dici cœpit, vid. *Ius Paroch. Sect. III. c.* 3, adeoque Parœcianus dicitur, qui intra parœciam seu Parochiam habitat, & ita ex *foro domicilii* hoc potissimum æstimandum est, si in ciuitate vna tantum parochia est. Sola habitatio temporalis neminem Parochianum facit *c. 3. de sepult. in 6.* Alex. Sperell. *in decis. for. eccles. decis. 87. n. 4.* Imo nec domicilium sufficit, nisi eiusdem cum ecclesia religionis sit. vid. *I. P. art. V.* §. 34.

§. III. Secundum quid tamen sola habitatio ad tempus parœcianum constituit, quoad certos effectus. 1] *ad onera realia solvenda*, vid. *Ius Paroch. cit. l.* §. 16. Hoc intuitu etiam Iudæi intra Parochiam habitantes ad

ad quædam onera Parochialia soluenda adstringuntur. Hoc decreuit concilium Viennense apud Lambec. *lib. II. de biblioth. p. 66.* hoc modo: *adiicientes, vt Iudæi sacerdoti Parochiali, infra cuius Parochiæ terminos manserint, pro eo, quod loca, in quibus Christiani manere deberent, occupant, iuxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcesani omnes prouentus loci, quos, si ibidem manerent Christiani, sacerdos perciperet, refundere compellantur.*


§. IV. II] *Quoad quædam ecclesiastica iura,* veluti sepulturam. Nam etiam extranei ibi sepeliendi sunt vbi ad tempus habitarunt, nisi commode ad propriam deferri possint parochiam. Denique III) si in vna ciuitate plures sunt Parochiæ, sola habitatio quoque attenditur, vt ibi censeatur parœcianus, vbi habitat. Nonnunquam tamen in ciuitatibus sunt ædes priuilegiatæ, quarum inhabitatores Parœciæ nulli addicti sunt, & hi censentur Parœciani ex illa ecclesia, in qua sacra perceperunt.

§. V. Nec tantum hæc qualitas Parochialitatis ad priuatos spectat, sed etiam ad ipsos reges & principes extensa est. Testis est Eadmerus *lib. VI. Histor. pr.* vbi ita: ***Comprobatum ab aliis est magis ad Archiepiscopum Can-***

tua-

tuarienſem id pertinere, ea ratione, quod Rex & regina ſpeciales ac domeſtici Parochiani ſunt ipſius, nec diœceſin cuiuscis epiſcopi ei poſſe precipere, quod ſui iuris dignoſcitur eſſe, cum tota terra, lege primatus Cantuariæ, Parochia ſua ſit, & omnes epiſcopi totius inſulæ Parochias, quas habent, non niſi ab ipſo & per ipſum habeant. Verum ad alias Parochias in ciuitate conſtitutas hoc extendi nequit. vid. *ius Paroch. Sect. IV. c. I. §. 13.*

§. VI. Effectus huius qualitatis potiſſimum conſiſtit in ſubiectione & obligatione tum ad ſacra ibi percipienda, vbi quis Parochianus eſt, tum ad onera illius Parochiæ ferenda. Eſt enim ius Parochiale reuera *ius bannarium,* prout in toto tr. *de iure Paroch.* oſtendi. De effectibus ſigillatim *ad lib. II.* occaſio ediſſerendi dabitur.



In-



Institutionum Ecclesiasticarum

Liber. II.

Tit. I.

DE IVRE RERVM ET S. LITVRGIA.

§. I.

IVra Liturgica quoad maximam partem debentur consuetudini, quædam etiam superstitioni. Vnde hic ante omnia videndum de iure illa determinandi, reformandi, vel plane tollendi. *Ius instituendi Liturgiam* Autor §.IIX. ex erronea hypothesi de *statu* ecclesiæ, sæpe reiecta, denegat soli principi, & *ecclesiæ* adscribit, h. e. principi & clero simul, admittit etiã ordines prouinciales, quos plebem repræsentare dicit. Ad-

modum incongrue. Ordines prouinciales non vbique concurrunt ad deliberationes circa summa rerum instituendas, & vbi concurrunt, non quibusuis deliberationibus intersunt. Porro in ecclesia qua' tali hunc respectum non habent, quod supra iam monui.

§. II. Hoc certum est, ecclesiam, quatenus collegium constituit, posse quaedam determinare, quae ad finem ei propositum spectant, et ita omnia membra ecclesiae ad huiusmodi deliberationes concurrere debent. Huc quoque pertinet ordo in liturgia obseruandus, sicuti etiam hunc primitiuae ecclesiae pro arbitrio per *modum pacti* determinarunt, vnde tanta diuersitas rerum liturgicarum seu rituum orta est. Sed paulatim Episcopi iura, ecclesiae der Gemeinde competentia, sibi vindicarunt, & pene omne ius circa sacra vsurparunt.

§. III. Cum vero imperantes inspectionem in omnes ecclesias habeant, & praecauere debeant, ne imperium sacrum in his collegiis exstruatur, suo iure agunt, si ius determinandi res liturgicas sibi vindicant, quando ex circumstantiis apparet, ecclesias hac libertate sua abuti. Status ecclesiarum satis corruptus est, vt facile tumultus & turbae inde oriri possent, si hodie adhuc eadem libertas iis concederetur. Tra-

hi-

hitur populus superstitione, ritibus sæpe inanibus tenaciter adhæret, adeoque vix patitur, vt noui ritus instituantur, quod bellum adiaphoristicum, motus Anglicani, aliaque infinita exempla ostendunt. Huc respexit I. P. *art. V. §.* 29. vbi ita cautum est: *Neutri partium alteram de religionis suæ exercitio, ecclesiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas sit, sed ciues pacifice & comiter inuicem cohabitent.* Ob huiusmodi causas salus reipubl. postulat, vt princeps liturgicas res adornet & determinet, in quo iure nec clerum admittere tenetur, quia hanc determinationem, qua princeps suæ reipubl. instituit, frustra renitente Carpzovio *p.* 2. *decis.* 113.

§. IV. Inde quoque Principibus Protestantibus *ius reformandi sacra* competit, & quidem non cumulatiue, sed *priuatiue,* quod etiam in I. P. *art. V.* §. 30. prouisum est, vbi ita: *cum eiusmodi Status immediatis cum iure territorii & superioritatis ex communi per totum imperium hactenus vsitata praxi etiam ius reformandi exercitium religionis competat,* ex quo *in f. dicti* §. concluditur, quod ob hanc causam *nulli Statui immediato ius, quod ipsi ratione territorii & superioritatis in negotio religionis competit, impediri oporteat.* Ius autem *reformandi exercitium religionis* non potest non denotare ius mutandi, corrigendi, & in melius restituendi res liturgicas, in quibus potissimum *exercitium*

publicum religionis consistit, quod ipsum Statibus *ratione territorii & superioritatis* adscribitur, cuius cum ministri ecclesiæ non sint participes, merito ab eius exercitio excluduntur. Neque hoc ius reformandi tantum exercent circa sacra, quibus ipsi addicti sunt, sed etiam circa sacra peregrina, veluti Iudæorum, prout illustri exemplo ostendi in diss. *de cauta Iudæor. toler. in f.* de precibus Iudæorum reformatis.

§. V. Quamuis vero immediata imperii nobilitas iura territorialis superioritatis ex plerorumque sententia non habeat, in iure tamen reformandi ceteris principibus exæquata est, vt in iuribus religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus idem ius habere debeant, quod Statibus Imperii competit. *art. V. I. P.* §. 28.

§. VI. Potest tamen hoc ius reformandi restringi I) pactis cum subditis initis, quod rursus *I. P. art. VII.* §. 1. prouisum est his verbis; *saluis tamen semper statuum, qui Protestantes nuncupantur, inter se & cum subditis conuentis pactis, priuilegiis & reuersalibus &, dispositionibus aliis, quibus de religione eiusque exercitio & inde dependentibus eiusque loci Statibus & subditis hucusque prouisum est, salua itidem cuiusque conscientiæ libertate.* Atque hoc pertinet ad protestantes inter se, quibus ratione exercitii religionis non præscriptus est terminus *anni*

1624.

1624. *d.* 1. *Ian.* Quod vero pacta inter dominum territorii & subditos diuersæ religionis de publico uel etiam priuato religionis exercitio introducendo, permittendo & conseruando concernit, illa eatenus approbata sunt in *I. P. art. V.* §. 33. quatenus obseruantiæ dicti anni 1624. non aduersantur.

§. VII. Restrictum II) hoc ius reformandi est in *I. P. art. V.* §. *31.* quoad Status, qui diuersam a domino territorii profitentur religionem, *vt* scil. iure reformandi non obstante, *Statuum Catholicorum Landsaßi, Vasalli & subditi cuiuscunque generis, qui siue publicum siue priuatum Augustanæ Confessionis exercitium anno* 1624. *quacunque anni parte, siue certo pacto aut priuilegio, siue longo vsu, siue sola denique obseruantia, dicti anni habuerunt, retinere id etiam debeant in posterum, vna cum annexis, QVATENVS illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse probare poterunt.* In præcedente §. 30. assertum erat Statibus, ius reformandi, in hoc §. 31. vero illud restringitur.

§. IIX. Atque hoc tantum pertinet ad Catholicos & Protestantes inter se. Quod vero attinet ad ipsos Protestantes, quatenus duas partes constituunt, hoc casu de iure reformandi in *I. P. art. VII.* §. *1.* ita sancitum: *vt si dominus territorii ad alterius partis sacra transierit, aut principatum aut ditionem, vbi*

alterius partis sacra exercitio publico de præsenti vigent, seu iure successionis, seu vigore præsentis tractatus pacis, alioue quocunque titulo nactus fuerit, aut recuperarit, ipsi quidem concionatores aulicos suæ confessionis citra subditorum onus aut praiudicium secum atque in residentia sua habere liceat, at fas eis non sit vel publicum religionis exercitium, leges aut constitutiones ecclesiasticas hactenus ibi receptas immutare, vel templa, scholas, hospitalia, aut eo pertinentes reditus, pensiones, stipendia, prioribus adimere, suorumque sacrorum hominibus applicare, vel iuris territorialis, Episcopalis, Patronatus, alioue quocunque prætextu subditis ministros alterius confessiones obtrudere, vllumue aliud impedimentum aut præiudicium directe vel indirecte alterius sacris afferre &c.

§. IX. Hac tamen circa ius reformandi facta restrictione domino territorii diuersæ religionis non videtur interdictum, exercitium suæ religionis in eo loco, quo anno 1624. illud haud viguerit, introducere. Neque enim subditis hoc ipso *ius prohibendi* datum, sed tantum eorum sacris est prospectum, ne vllo modo in eius exercitio turbari queant. Vid. Autor. *meditat. ad I. P. Specim. IV. mantissa II.*

§. X. Ex hoc iure reformandi quoque dependet *ius ritus abrogandi* tam *particulares*, quam *vniuersales*. Quoad hos plerique dissentiunt, existimantes eos abrogari non posse

posse sine totius ecclesiæ eiusdem confessionis consensu. Hildebrand. *diss. de ritib. sacris* §. 17. vbi tamen §. 19. addit limitationem, nisi abusibus, corruptelis & superstitionibus infecti fuerint. Sed hoc ipso destruit regulam, cum ritus haud aliter abrogari soleant, nisi superstitiosi fuerint, de quo cognoscit Princeps, quia ius reformandi habet. Sic ritus exorcismi est antiquissimus, & vniuersalis. Si abrogatio eius decernitur a principe, hæc sola ratio sufficit, quod superstitiosus sit, vti reuera est. Reuera contraria sententia nata est ex erroneo conceptu de statu ecclesiæ. Conf. B. Dn. Stryk *in not. ad ius eccl. Brunnem. lib. I. c. 6. m. 3.* §. 1. *verbo: remoto scandalo.* Pluribus hanc sententiam illustraui in *diss. de observantia eccles. in f.*

§. XI. Patronis sane aut nobilibus mediatis, licet mero imperio gaudeant, nequaquam competit ius circa res liturgicas quid mutandi, cum ius Patronatus a iure sacrorum toto cœlo differat Finckelthaus *de iure Patron. C. II. n. 19.* Carpz. *P. I. Iurispr. E. def. 3.* Ziegl. *de iur. maiest. lib. 1. c. 17.* §. 3. Imo ne quidem consistorium hoc ius exercere potest, cum ad legislatoriam potestatem pertineat, qua destituuntur consistoria, B. Dn. Stryk. *ad ius eccl. Brunnem. lib. I. c. 6. m. 12.* §. 6. *verb. per sua Consistoria.*

TIT. II.
DE
SS. BAPTISMATE.

§. I.

AD sacramenta recte intelligenda, simulque quid circa ea iustum sit? recte discernendum, multum iuuat, inquirere in eorum originem. Sane Baptismus non demum cum Christianismo natus, sed apud Iudæos iam vsitatus fuit, prout Seldenus *de Synedriis lib. I. c.* 3. perspicue docet. Totam huius sacramenti originem & indolem breuiter tradidi in *diss. X. ad Plin. II. & Tertull.*

§. II. Ius dandi baptismum hodie Parochis tributum est, modo ei religioni addicti sunt, in qua baptizandus est imbuendus. Quodsi enim subditi in tali ditione viuunt, vbi anno 1624. neque publicum neque priuatum religionis exercitium habuerunt, eis permissum est in *I. P. art. V.* §. 34. infantes recens natos in vicinia Pastori suæ religionis ad baptismum offerre. Ziegler. *de iur. Mai. lib. I. c.* 14. §. 4.

§. III. Ad Baptismum nemo cogendus est. Imo ne quidem Iudæorum infantes, inuitis eorum parentibus, baptizandi sunt, cum patriam potestatem, vnde ius circa

sa-

ſacra liberorum dependet, in liberos habeant, quamuis iure canonico antiquo ſecus ſtatutum ſit. Mancipiorum diuerſa videtur ratio, quorum infantes a Domino Baptiſmo offerri poſſunt, renitente matre infideli vel patre. De Patre chriſtiano maior ratio dubitandi eſt, an hic a magiſtratu eccleſiaſtico cogi poſſit, vt infantem recens natum Baptiſmo offerat. Quid enim ſi credat, infantes in infantia non eſſe baptizandos, ſed baptiſmum ad annos diſcretionis differendum eſſe? Diſſentiret hic a tribus in Imperio R. approbatis religionibus, adeoq; vel ei iniungi poſſet, vt ſe ad ſacra conſueta accommodaret, aut emigraret. Nihil plus iuris magiſtratui eccleſiaſtico competere videtur, niſi forſan quis prouocare vellet ad *R.I. de ann. 1529. §. 6.* vbi dicitur: daß auch ein ieder ſeine Kinder **nach Chriſtl. Ordnung Herkommen und Gebrauch** in der Jugend tauffen laſſen ſolle. Welcher aber das verachten und nicht thun würde/ auf Meinung als ſolte derſelbig Kindertauff nichts ſeyn/ daß derſelbig/ ſo darauf zu beharren unterſtünde/ für einen Wiedertäuffer geachtet/ und obangezeigneter Käyſerl. conſtitution unterworffen ſey &c.

§. IV. Ipſa pœna in his, qui S. baptiſma iterant, tam iure Iuſtinianeo eſt capitalis *t.t.*

C. ne sacr. baptism. iteret. quam repetita in-*cit. R.* Daß alle und iede Wiedertauffer und Wiedergetauffte Mann- und Weibs-Personen verständiges Alters von natürl. Leben zum Tode mit Feuer / Schwerdt und dergleichen / doch nach Gelegenheit der Personen / ohne vorgehend der geistl. Richter inquisition, gericht und gebracht werden. Sed hoc potissimum contra Anabaptistas *seditiosos*, qui eo tempore motus in imperio impios excitauerant, statutum est, vnde etiam in *R. I. de anno 1530.* vocantur die *aufrührische* unchristl. Secte des Wiedertauffs / vti imprimis apparet ex *R. I. de anno 1535.* Cum vero seditio huic sectæ non sit connata, sed praxis in Belgio doceat, Anabaptistas quiete viuere, docente Dn. Buddeo *de concord. relig. Christ. statusque ciuil. c. VI. §. 3. seqq.* vbi imprimis prouocat ad illius sectæ ministrum in Belgio, *ANGELVM ARENSTOON DOORGEEST*, qui nullas seditiosas doctrinas sectæ suæ adscribi posse serio vrget; admodum durum foret, pœnas in LL. Imperii Anabaptistis dictatas, illis velle applicare, qui paruulorum baptismum illicitum aiunt.

§. V. Illi potius pœnis subiiciendi, qui solius *lucri causa* se variis in locis baptismo offerunt, quod nonunquã Iudæi facere solent, qui reuera *stellionatum* committunt, & ita

pœna

pœna fustigationis afficiendi sunt Carpz. *in pr. crim. qu. 93. n. 44.*

§. VI. Quoad ipsum actum baptismi sequentia vulgo requiruntur. (I) In baptizante Pontificii requirunt *intentionem* illud faciendi, quod facit ecclesia. Concil. Trid. *Sess. VII. de baptismo can. IV.* Sed hoc modo nemo certus esse potest, vtrum vere baptizatus sit, quia ei nunquam de intentione baptizantis constare potest. Longe aliter olim Innocentius Papa ad *c. 1. X. de baptism.* aiens: *Non est necesse, quoad effectum baptismi, vt sciat baptizans, quid sit baptismus, scilicet, quod infundat gratiam, vel quod sit sacramentum, nec etiam oportet, quod credat hoc ipsum, imo si contrarium credat, & reputet deceptionem, baptismus tamen habet effectum suum. Non requiritur, quod baptizans sciat, quid sit ecclesia, nec quod in mente gerat, quod facit ecclesia: imo si contrarium gerat in mente, i. e. non facere, quod facit ecclesia, sed tamen facit, quia formam seruat, nihilominus baptizatur, dummodo baptizare intendat.* Conf. *c. 46. c. 77. c. 89. C. 1. q. 1.*

§. VII. Baptismus (II) peragendus est *in ecclesia.* Sed non tam ad *locum*, quam *congregationem* fidelium esset respiciendum, vti in

in primitiua ecclesia, teste Tertull. *de coron. c. 3.* vnde satis laudabile est quorundam locorum institutum, vbi baptismus paruulorum differtur in diem dominicum, vt in plena fidelium congregatione fieri possit. Sed hodie magis ad *qualitatem loci* respici solet, vtrum sit *baptismatis ecclesia, c. 54. seq. C. 16. q. 1.* Espen. *de Iur. eccles. lib. II. tit. 2. c. 2. n. 15.*

§. VIII. Offerantur (III) baptizandi baptismo per patrinos ad id rogatos, quæ *oblatio* ab omnibus patrinis fieri debet, cum absque *contactu corporali* spiritualis cognatio haud oriatur ex mente Pontificiorum. Vtut vero hanc cognationem in ecclesiis nostris negemus, negari tamen nequit, in plerisque locis etiam hunc *contactum* patrinorum superesse.

§. IX. Ante baptismum (IV) fiat *solennis professio,* quæ etiam olim apud Iudæos vsitata fuit. Selden. *de Synedr. lib. I. c. 3.* & inter Christianos merito retenta *Act. VIII, 37.* Huc quoque pertinet *solennis contestatio,* qua baptizandi contestantur, *se renunciare Diabolo, Pompæ & angelis eius,* vt loquitur Tertull. *de coron. c. 3.* Atque hæc promissio olim fiebat *publice* in ecclesia, qua ipsa baptizandus in *confœderatam* Christianorum *disciplinam* consentiebat, cuiq singulares olim erant effectus, prout ostendi *in Diss. III. ad Plinium II.*

§. X.

§. X. Hæc professio & conteſtatio (V) fiebat olim non tantum in eccleſia, ſed etiam *adhibitis teſtibus* peculiaribus, prout docui *cit. l.* §. *19.* Inde origo *Patrinorum*. vid. Maſtricht *de ſuſceptor.* In parulorum baptiſmo hi reſpondent pro paruulis, & *prodeſt paruulo fides eorum, a quibus conſecrandus offertur*, vt dicitur *in c. 7. de conſecr. D. 4.* & ſic inter credentes reputantur *per offerentium reſponſionem c. 8. de conſecr. D. 4.* Vnde a Patrinorum officio remouentur contemtores verbi diuini. An vero poſſint admitti diſcrepantes in religione, de eo vid. Dn. Stryk *ad Ius Eccleſ. Brunnemann. lib. II. c. 1. m. 2.* §. 12.

§. XI. Numerus Patrinorum non vbique determinatus eſt. In Concil. Trid. *Seſſ. 24. de reform. matrim. c. 2.* ſtatutum eſt, vt vnus tantum admittatur vel *ad ſummum vnus & vna*, ne cognatio ſpiritualis nimium extendatur. *c. 3. de cognat. Spirit. in 6.* Vbi plures admittuntur, vel ideo diuerſitas ſexus placuiſſe videtur, vt eo magis cognatio quædam fingi, & reſpectus filiationis & paternitatis ſupponi poſſit. Conf. Carpz. *P. 2. d. 268. Iurisp. conſiſtor.* Qui plures adhibent, quam lege permiſſum eſt, arbitrarie puniuntur. Reusner. *L. 2. Deciſ. 20. n. 6.*

§. XII. Præterea (VI) peracto baptiſmo accedebat inunctio, chriſmate facienda, *Con-*

Concil. Laod. c. 48. Tertull. *de baptism. c. VII.* cum impositione manus. Inde nata est *confirmatio*, de qua Autor in §. *vlt.* agit, quam hodie peculiare *sacramentum* esse volunt, contra quod prolixe disputat Io. Dallæus *de confirmat.*

§. XIII. Per hanc *confirmationem* tradi baptizatis Spiritum S. adeoque non presbyterum sed Episcopum duntaxat verum eius ministrum esse statuunt. Vid. Innocentius I. *in epist. ad Decentium c. 3.* quamuis Græci etiam Presbyteros admiserint. Cum vero Presbyteri etiam baptizare possint, inde tandem factum, vt confirmatio a baptismo plane separata fuerit, cum Episcoporum copia non semper adesset.

§. XIV. Peragitur confirmatio *Chrismate* & *manuum impositione.* Chrisma tantum conficit Episcopus *c. 1. 2. C. 26. q. 6.* & quidem *in cœna Domini* seu die Viridium. Ab hoc Presbyteri illud petere debent *c. 4. D. 95.* cum etiam hi in baptismo chrismate vtantur; præterea etiam accipiunt *oleum oliuæ*, morti vicinis applicandum. A *Chrismate* in eo differt, quod *balsamum* admixtum non habeat, quod multis ex speciebus constat, & chrismati inest. *c. vn. X. d. Sacr. vnction.*

§. XIV. Sunt præterea *vnctiones* quoque alius in negotiis sacris vsitatæ, Nam (1) in

in ordinationibus Presbyterorum adhibentur, quamuis olim id minime fieret, fatente Morino *de SS. ordin. exerc. 6. c. 1. & 2.* & imprimis (II) in consecratione Episcoporum, postquam creditum fuit, hos verum sacerdotium gerere. Sacerdotes enim olim inunctos fuisse constat, de quo fusius philosophatur Innocentius III. *in c. vn. de SS. vnction.* Denique (III) inunguntur quoque Reges, hac tamen seruata differentia, vt vult Innocentius III. *cit. l.* quod caput Pontificis Chrismate consecretur, brachium vero Principis oleo deliniatur, *vt ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis* seu Episcopi, *& Principis auctoritatem.* Hodie tamen Imperatores etiam in vertice inungi tralatitium est.

§. XV. Hanc tamen vnctionem nudam ceremoniam esse constat, cum olim Imperatores Græci eam haud acceperint. Fabulam sapit, quod tantum quatuor Reges ex priuilegio inungantur, vt Rex *Hierosolymorum, Francorum, Anglorum, Siciliæ,* quæ fabula forsan ex *quaternionibus* nata est, cum ex *cit. c. vn.* constet, vniuersalem morem fuisse, vt reges vngantur. Hoc ergo admodum absurdum est, quod statuat Simeon Thessalon. *de sacr. ordinat., reges vngi ab ecclesia, vt per eam principes fiant*, & quos Thomas Bozius *in comm. lib. III. Reg. c. 19.* credat, Reges

Gal-

Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, nisi vngerentur, ab Episcopis pro Regibus habitos non fuisse, quod hi per vnctionem reges crearent, quamuis forsan hoc sub prætextu Papa *ius reges appellandi* sibi competere crediderit. Henricus Auceps vnctionem recusauit, nec tamen ei quisquam Status quæstionem mouit. Sic enim Ditmarus *lib. I.* ait: *Episcopalis vnctionem benedictionis a Herigero Archiepiscopo exhibitam antecessorum more priorum non desiderauit, nec suscipere voluit, sed prorsus ad hoc indignum se affirmauit.* Addit tamen superstitiosus Ditmarus, in hoc eum peccasse, quia se legisse ait, sanctam Christi Martyrem Afram Othalrico Episcopo duos enses, vnum cum capulo, aliumque sine eo, ac per eum Henricum Regem, consecrationis expertem, demonstrasse, qua fabula multum ad necessitatem vnctionis se contulisse forsan credidit.

TIT. III.

De SS. EVCHARISTIA.

§. I.

DE origine & primæua praxi Eucharistiæ dixi *Differt. IV. ad Plinium II.* vnde apparebit, Autoris nostri sententiam, quam tue-

tuetur §. *II.* veram esse, in sacris videlicet haud determinari, cui administratio huius cœnæ competat. Hoc expeditum est, eam presbyteris delegari ab ecclesia debuisse, postquam hi ab ecclesia allecti, & Eucharistia in coitionibus christianorum sacris celebrata fuit. Nam siouti directio omnium reliquorum negotiorum in cœtibus peragendorum iis incubuit, ita quoque administratio huius cœnæ eis competebat.

§. II. Vnde quod in casu necessitatis, vbi non adsunt Pastores, nec haberi possunt, laici quoque eucharistiam celebrare possint, aparte fassus est Tertull. *lib. VII. de exhort. castit.* & probauit Grotius in *tr. de administr. S. cœnæ vbi pastores non sunt.* Negant id pontificii, qui sacrificium in hac administratione supponunt, quod tantum a sacerdote offerri potest, quorsum non pauci nostratium quoque inclinant vid. Lyncker. *de eo quod iust. est circa S. cœnam c. II.* §. 2. Olim presbyteri administrationi huic præerant, non vt *sacerdotes*, sed vt *præpositi.* Iustin. Martyr. *Apol. II. in f.*

§. III. Neque hæc administratio *consecrationem* quandam habet, prout Autor §. *III.* innuit, sed εὐλογία per pias preces, & gratiarum actiones fiebat, quæ tamen *consecrationis* nullum respectum habebant. Hæc inuenta est, postquam sacrificium in eucha-

P ri-

riſtia offerri creditum fuit. Patres ipſas preces, euchariſtiæ accedentes, *ſacrificium* dixere, & ita non ſolus Presbyter, ſed omnes fideles hoc *ſacrificium precum* Deo offerebant, vt Iuſtin. Martyr. *in Dial. cum Iudæo Tryph.* paſſim oſtendit.

§. IV. Interim ex hac hypotheſi, quod ſacrificium in S. cœna Deo offeratur, plures fluunt concluſiones: 1) quod in altari offerri debeat, vnde vocatur *Sacramentum Altaris.* 2) Quod panes azymi vocentur *hoſtiæ* item *oblatæ c. 53. de conſecr. D. 2.* 3) quod præciſe a *ſacerdote* & non ab alio offerri poſſit: 4) quod oblatio hæc debeat fieri in veſtibus ſacerdotalibus ſeu miſſaticis: 5) accenſis luminibus *c. f. X. de celebr. miſſ.* cum ſacrificium abſque igne non poſſit fieri. Imo totius miſſæ apparatus inde originem traxit.

§. V. Non hic ſubſtitit ſuperſtitio Pontificiorum, ſed etiam *transſubſtantiationem* quandam fieri proprie dictam cenſuit, quamuis in ſenſu hodierno ea reprobata videatur in *c. 48. & 58. de conſecr. D. 2.* Inde fluxit 1) hypotheſis *de conſecratione,* facienda per verba inſtitutionis *c. 55. c. 72. de conſecr. D. 2.* & quod Sacerdos hoc ſacramentum *conficere* dicatur. 2] quod Sacerdos porrigens S. cœnam caput tegere non debeat *ſub pœna arbitraria* Carpz. *p. 3. I. E. def. 97.* 3) quod in vaſis ſacris conſecratio fieri debeat *c. 44. ſq.*

de

de consec. D. I. super linteo panno *c.* 46. *eod.* 4) quod Presbyter ipse per se panem & vinum laicis porrigere debeat, non hi accipere manibus possint *c.* 29. *de consecr. D.* 2. *&c.*

§. VI. Imo, si dicendum quod res est, ab vtraque hypothesi videtur fluere communis sententia de *iure excludendi indignos ab usu S. cœnæ,* quod presbyteri sibi vindicant. Quia enim partim hoc sacramentum *conficere* & consecrationem peragere, partim panem eucharisticum *DEO offerre* dicuntur, inde quoque *ius dispensandi* sibi tribuerunt, vt inter eos solos dispensare eucharistiam debeant, quos dignos esse iudicauerunt. Multa tamen supponunt, vt quis iuste, a S. cœna excludi possit, quæ referuntur *in diss. cit.* Dn. Lynckeri *c. II.* §. 8. Pontificii hoc ius sub specie *excommunicationis minoris* in quoscunque Laicos, etiam principes & Reges exercent, imo & nostratium non pauci eandem hypothesin defendunt.

§. VII. Sane ex praxi primitiuæ ecclesiæ constat 1] neminem ad eucharistiam admissum fuisse nisi post baptismum. Iustin *apol. II. p.* 97. 2] non alios vero ab ea exclusos, nisi qui vel *eiecti* erant vel *desertores* facti. Hæc tantum excommunicatio, eaque vnica, nota erat, adeoque exclusio a S. cœna erat consequens eiectionis, quæ tamen non

priuato episcopi arbitrio fiebat, sed plebis iudicio & decreto. Non-eiecti indistincte admittebantur, quia adhuc communionis, quæ potissimum in vsu S. cœnæ cernebatur, participes erat. Et inde quoque Christus Judam non excludebat, quamuis impium & proditorem, quia haud erat excommunicatus, vti prolixe probat Selden. *lib.* I. *de Synedr. c.* 8. *circa fin.* Serius introducta est *excommunicatio minor*, quæ, salua communione ecclesiastica, in sola exclusione a S.cœna consistit, & quidem eo tempore, quo Presbyteri credebant, se huius sacramenti dominos & dispensatores esse. Ipse Espenius *de iur. eccles. P.* 3. *tit.* II. *C.* 3. fatetur, hanc excommunicationem minorem demum circa seculum XIII. inualuisse, ea forsan occasione, qua Innocentius III. confessionem auricularem introduxit; quod insigne indicium præbet, eam nullo modo dependere a iure prætenso clauium.

§. IIX. Quæ cum ita sint, *ius hoc excludendi a S. cœna* Pastoribus nec ex *iure diuino*, nec *ex praxi primitiuæ ecclesiæ* competit, sed demum *eiectionis* consequens censeri debet. Inde I) nondum eiectum minister ecclesiæ, priuato ausu, excludere nequit, nec II] eum eiicere potest, quod res est *ecclesiæ*, vel hodie consistorii, imo III] cum *exclusio a S. cœna* hodie quoque in non-eiectos exerceatur, hanc

ta-

tamen absque *Consistorii Decreto* decernere nequit, postquam in foris Protestantium ius, quod olim ecclesiæ proprium erat, iusta de causa ad consistoria delatum est, adeoque IV] si Consistorium exclusionem hanc decernere recusat, admittere suspectum tenetur. vid. Brunnem. *lib. II. de iur. eccles. c.* 1. *m.* 3. §. 12. neque V] iniustæ & iniquæ sunt iudicandæ ordinationes ecclesiasticæ, quæ hoc decernunt. Lyncker. *Resp. X.* Multo minus VI] integrum erit Pastori aulico, ipsum Principem, a quo consistorium dependet, a S. cœna excludere, de quo peculiari script. Ill. Dn. Thomasius egit. Hoc itaque relictum est Pastori probo & fideli, vt omnibus modis dehortetur, ne, quem indignum iudicat, ad S. cœnam accedat, monitu Pauli *1 Cor. XI, 27. sqq.* & si ita animum eius flectere non possit, consistorio denunciet, vt in re tam ambigua, decernat, vtrum admittendus sit nec ne? Atque ex hoc fundamento ICti concedunt actionem excluso contra ministrum ecclesiæ, si, his non obseruatis, processerit. vid. Simon *differt. de actione iniur. facerd. concern. m.* 2. *th.* 5. *in f.* Carpz. *lib. III. I. E. def.* 99. *n.* 15. *seq.* Imo si Pastor in contumacia perseuerauerit contra decretum Consistorii, aliis remediis contra eum procedi potest. Carpz. *cit. l. def.* 114. *n.* 13. *seq.* Brunnem. *lib. I. de Iur. eccl. c.* 6. *m.* 4. §. 10.

§. IX. Denique finis huius venerandi Sacramenti non admittit, vt inuitus ad vsum S. cœnæ cogi queat. Nec assentiendum Carpzovio *lib. II. I. E. def.* 294. existimanti, *diutius a S. cœna abstinentes ad vsum eius commi-natione carceris alteriusue pœnæ, imo relegatione adigi debere*, quæ sententia sane pugnat cum doctrinæ nostræ principiis, vti recte censuit Brunnem. *de iur. eccl. lib. I. c.* 6. *m.* 4. §. 2. Dubia Carpzoviana resolui *in iur. Paroch. sect. IV. c.* 1. §. 22. *seq.*

TIT. IV.

DE

POENITENTIA & S. ABSOLVTIONE.

§. I.

Agitur hoc titulo potissimum de *confessione auricalari*, quæ serius in ecclesia corrupta inualuit, vt docet Dallæus *de confess. auricular.* Vnice olim *publica* nota erat, eiectis subeunda, qui hoc medio rursus recipiebantur in ecclesiam: non-eiecti pœnitentiæ haud subiiciebantur. Ita satis faciebant eiecti vel desertores ecclesiæ læsæ, vti plenius docui *in diss. III. ad Plinium II. & Tertull.* Sed mox inualuit opinio, satisfactio-

ctionem quandam Deo faciendam propter quæuis, occulta etiam, delicta, inde confessionarii Sacerdotes sunt constituti, qui confessiones acciperent, & satisfactionem etiam non-ciectis imponerent. Ita tamen pœnitentia auricularis, vsui S. cœnæ præmittenda, haud inualuerat, sed illa demum ab Innocentio III. nouiter fabricata est in constitutione relata a Gratiano *in c. 12. X. de pœnit. & remiss.*

§. II. Ex quo concludo, I] *ex iure clauium* hunc morem deduci non posse, quemadmodum *ius clauium* hoc ipsum non denotat. *Soluere* & *ligare* Hebræis idem est, ac decernere, vtrum aliquid sit licitum an illicitum. Nec facultas remittendi vel retinendi peccata, Apostolis propria, huc pertinet, obseruante Tertulliano *de pudicit. c. 3.* II] Formulam consuetam: *absoluo te a tuis peccatis &c.* esse eliminandam. Solus Deus peccata absoluit, & inde pugnat cum Scriptura S. *Iac. IV, 12. 1 Ioh. II, 12. Act. XIII, 38. Luc. XXIV, 47.* Conf. Chemnitius *in exam. concil. Trid. P. 2. loc.* 10. *Sect. I. §. 3. p. m.* 548. Ioannes Episcopus Oxoniensis *in notis ad Cyprian. tr. de laps. p.* 136. Socrates *lib. I. c. 10.*

§. III. Quin III] quoque inde fluit, auricularem confessionem abrogari posse, quatenus ius reformandi principi concessum est, de quo supra, *ad tit. I,* actum est.

 Sed

Sed forsan consultius erit, rem ita moderari, vt libertas singulis relinquatur, vtrum hac confessione vti, an ea abstinere malint.

§. IV. Denique (IV) inde constat, pœnitentiam publicam, quæ hodie in ecclesiis nostris vsurpatur, & *forma* & *fine* a primitiua ecclesiæ disciplina differre. Finis primitiuæ erat, vt eiecti & exclusi ita rursus reciperentur. Forma consistebat in variis & laboriosis satisfactionum gradibus. Sed hodierna laborem magnum non desiderat, sed magis pœna, imo & ab illis subeunda est, qui non sunt ab ecclesia eiecti. De abusibus circa pœnitentiam ecclesiasticam prolixe egit Dn. Bodin. *Diss. de abus. pœnit. eccles.*

§. V. Ex his suppositis plura Autoris nostri asserta illustranda sunt. In §. *I*. caute tradit, absolutionem annunciari, sed illud *vice Dei* fieri, omitti debuisset. Seorsim singulos audiendos esse secundum §. *II*. fluit ex conceptu *confessionis auricularis Innocentianæ*. Enumeratio omnium delictorum secundum §. *III*. fluit ex hypothesi Pontificiorum de *satisfactione pro singulis peccatis mortalibus*. Inde Canones & libri pœnitentiales. Imo sunt plures casus reseruati, in quibus ius absoluendi vel Episcopis vel etiam Papæ tantum competit, quales reserua-

tio-

tiones Papales *pœnitentiariam* Romæ extruxerunt, ad augendum fiscum papalem. Inde quoque originem traxit doctrina Canonica *de foro pœnitentiali*. Vnde (1) qui absoluit debet esse iudex competens, & (2) iudicare in imponenda pœnitentia secundum leges ecclesiasticas, (3) ad præcedentem confessionem, & (4) promissionem de satisfaciendo. Hoc modo facile homo conuerti potest, quæ ratio quoque est, quod Carolina constitutio criminalis *art. 70.* dispofuerit *intra triduum* vltimo supplicio afficiendum ad mortem præparandum esse, damit er/vt ibi dicitur, zu rechter Zeit seine Sünde bedencken/ beklagen und beichten möge/ und so er das Heil. Sacrament zu empfahen begehret/ das soll man ihm ohne Weigerung zu reichen schuldig seyn.

§. VI. Hanc confessionem sacerdoti factam sufficere ad remissionem peccatorum impetrandam vulgo creditum est, adeo vt necesse haud esse crediderint, illam in iudicio fieri, sed eam reuocari posse, quod reprobatum est in *art. 103. Constit. Carol.* Reliqua ad hanc materiam facientia, fuse explicat Autor, quæ facile ex hactenis dictis diiudicari possunt.

Tit. V.

De
EXCOMMVNICATIONE SEV BANNO.

§. I.

EXcommunicationis originem & primævam rationem, eiusque differentiam a Iudæorum excommunicatione plenius *Dissert. III. ad Plinium II.* ostendi, simulque e sacris illam probari non posse, censui. Olim eiectio decernebatur a tota ecclesia, Episcopo actum cognitionis dirigente. Vbi *clauium ius* seculo III. ab Episcopis assertum est, tandem seculo IV. ex eo hi ius excommunicandi sibi solitarie adscripserunt.

§. II. Hactenus tamen ad *ius ordinis* spectabat, seu *pœnitentiale forum*, vt loquuntur, neque enim *iurisdictio ecclesiastica* eo sensu, quo hodie exercetur, cognita erat. Sed paulatim, hac exstructa, & ab actibus ordinis separata, inualuit, neminem posse *excommunicationem majorem* decernere, nisi *iurisdictione ecclesiastica* praeditus sit Espen. *in iur. eccles. P. 3. tit. II. c. 2. §. 15. 16.* Cum vero hæc per Consistoria in foris Protestantium exerceatur, inde his *ius excommunicandi* adscribitur.

§. III.

§. III. Imo & alia ratione hoc ius Consistoriis nostris vindicandum. Constat ex Cypriano, Tertulliano aliisque, seculo II. & III. adhuc ius eiiciendi a tota ecclesia exercitum fuisse per figuram alicuius iudicii, & quidem ex *confœderata disciplina*. Hoc ius inique sibi priuatiue vindicarunt Episcopi, adeoque reformatione secuta, merito Consistoriis illud delegatum est, sicuti ex iusta ratione cetera iura ecclesiis competentia, huic iudicio reseruata sunt.

§. IV. Quæ cum ita sint, facile apparet, quæstionem in §. *IV.* ab Autore motam negandam omnino esse, neque enim Consistorium, quod a Principe dependet, pœnam in Principem statuere potest. Pontificiorum sententia est omnino damnanda, nec in statu reipubl. toleranda, quamuis Galli hic moderatiores sint, vti Natalis Alexander passim ostendit. Quod vero Autor addit de *excommunicatione minori, ad tit. III. §. 7. & 8.* iam reiectum est.

§. V. Rarior tamen huius excommunicationis apud nos vsus est, adeoque rarius de eius effectibus disputari animaduerti. Quodsi tamen vsu veniret, effectus *ecclesiasticos*, non *ciuiles*, vti olim, habere deberet.

In-

Inter illos refero, quod, vt cum Tertulliano loquar, *a communicatione orationis, & conuentus & omnis sancti commercii relegetur*, & consequenter admitti non possit ad officia ecclesiastica, munus patrinorum, solennia funerum, imo quod ipse ecclesiastica sepultura priuandus sit. Sed ad forum ciuile & vitam forensem effectum suum, more Pontificiorum, extendere non debet, adeoque nec ab agendo repelli; nec a muneribus ciuilibus excommunicatus excludi debet, sed salua in omnibus fama & illaesa existimatio conseruanda, si primaeuos Christianorum mores imitari haud recusamus. Iudaeorum excommunicatio ad nos non spectat, nec vnquam a Christianis recepta est.

§. VI. Sed ius Pontificium in alia omnia iuit. Excommunicatio quippe secundum huius doctrinam separat excommunicatum a corpore Christi, & Diabolo tradit *c. 32. C. 11. q. 3. c. 33. eod.* omni commercio, etiam ciuili, intercludit *c. 28. eod.* Inde fit infamis *c. 17. C. 6. q. 1.* & extorris, vt pro mortuo habeatur, feudis ecclesiae, *c. 53. §. fin. de sent. excomm.* imo regno & omni honore & dignitate ciuili priuatur, repellitur ab agendo & omnibus actibus forensibus &c. Vt vero excommunicationis effectus quo-

quoque ad fora pertingeret, iudices per censuras ecclesiasticas adstringuntur, ne quid commercii cum excommunicato in vita ciuili habeant *c. 8. de sentent. excomm. in 6.*

TIT. VI.

DE SS. ECCLESIIS ET BONIS ECCLESIASTICIS.

§. I.

Agit hoc titulo Autor generatim de *bonis ecclesiasticis*. Quia vero hæc duplicis sunt generis, ita vt quædam simpliciter talia dicantur, quædam vero ad *dotem* pertineant, & in *beneficium* peculiare erecta sint, Autor vero magis de prioris generis bonis edisserat, materiam vero de *præbendis* & quæ huc spectant, intactam relinquat, quæ tamen scitu necessaria est, eam breuiter hic supplebo.

MEMBRVM I.

MEMBRVM I.

De
BENEFICIIS ECCLESIASTICIS SEV PRAEBENDIS.

§. I.

BENEFICIVM ECCLESIASTICVM & præbenda communiter synonymice accipiuntur. Vid. *I. P. art. V. §. 15.* Denotat autem BENEFICIVM ECCLESIASTICVM *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter officium sacrum, auctoritate ecclesiastica constitutum.* Facile patet, ex vsibus feudorum denominationem hanc desumtam esse. Olim agri & prædia ita dicebantur, quibus a Regibus Duces militesque donabantur, vt suo deinceps sumtu stipendi facerent. Thomassinus *de vet. & nov. eccles. discipl. P. 2. lib. 3. c. 13. §. 5.* Imo ipsa prædia loco salarii erant, qui mos cum etiam ad ecclesias traheretur, idem nomen quoque retineri debuit, vt proinde beneficia hæc sint reuera *feuda ecclesiastica* Espen. *de iur. eccles. P. 2. tit. 18. c. 1. §. 1. seqq.*

§. II. Cum dispensatio bonorum ecclesiasticorum esset olim penes Episcopum, plerumque quidem quarta inferioribus clericis assignabatur, sed iam circa finem seculi

culi V. clericis *nonnunquam* bona ecclesiæ perfruenda concessa sunt *c. 61. C. 16. qu.* 1. Conf. Natal. Alexander. in Diss. eccles. *ad Secul. VI. c. 2. art. 1. p. 373. b.* — Paulatim hoc in morem constantem abiit, vbi tamen optime notat Espen. *cit. l. §. 9.* quod *sicuti prædia quæ beneficiario iure a Principe possidebantur, mortua persona, extinguebantur, & ad Principem reuertebantur, ita quoque primitus comparatum fuerit, vt res ecclesiæ iure beneficiario clericis concessæ tantum ad eorum vitam censerentur datæ, ipsasque possiderent non iure tituli, sed tantum iure personali, vt ita post mortem totaliter ad Episcopi dispositionem reuerterentur.*

§. III. Tandem vero cum continuata serie Episcopi bona vtenda clericis darent, reditus ex bonis & iuribus ecclesiasticis non amplius *personis*, sed ipsis *ecclesiis* seu *titulis* annecti cœperunt, vt cui officium ecclesiasticum conferretur, is ipso iure quoque reditus, officio ei destinatos, consequeretur: vnde factum, vt ipsum *officium sacrum* quoque hoc nomine denotaretur, postquam clerici illud, quod accessorium officio erat, principaliter ambirent. Alioquin *officium sacrum a beneficio* distingui apparet ex *c. f. de rescript. in 6.* ubi dicitur, *quod beneficium detur propter officium.* Eodem sensu etiam *præbendæ* huiusmodi reditus dicuntur, quod illis præbeantur, qui officium sacrum exercent,

cent, quamuis ſtricte tribui ſoleant capitularibus ſeu canonicis *I. P. art. V.* §. 23.

§. IV. Inde hodie ad eſſentiam beneficiorum requirunt (I) *vt ius fixum & perpetuum conferat*, & certo officio affixum ſit, quod non ceſſat poſt mortem beneficiati. In hoc differunt *penſiones* a beneficiis, quando reditus alicui aſſignantur ad vitæ tempus, vt inde alatur, non pro officio ſacro, ſed ex gratia, quales etiam laicis quandoque tributæ ſunt: Thomaſſin. *de vet. & nov. eccl. diſcipl. P. 3. lib. 2. c. 29, ſeqq.* Huc etiam illæ pertinent, quos emeriti paſtores reſignantes ſibi reſeruare ſolent cum auctoritate ſuperioris.

§. V. (II) *Vt perſonæ eccleſiaſticæ propter officium ſacrum conferatur*, ſiue in pſallendis horis canonicis, ſiue in alio officio conſiſtat. Vnde ſi quis ad canonicatum receptus eſt, ei mox quoque prouidendum de præbenda, *c. 9. X. de præb. & dignit.* vt tamen interim quotidianas diſtributiones percipere debeat *c. 9. & 19. eod.* Olim Canonici tantum viuebant ex *diſtributionibus manualibus*; quibus licet poſtea certa beneficia aſſignata ſunt, non tamen ceſſarunt illæ diſtributiones, quæ tamen a præſentibus tantum percipiuntur. Thomaſſin. *cit. l. P. 3. l. 2. c. 36.*

§. VI.

§. VI. Et denique (III) *vt auctoritate ecclesiastica constitutum sit.* In hoc differt a donationibus aliis, ecclesiis factis, ex quibus quidem augetur ecclesiæ patrimonium, sed beneficium quoddam haud constituitur. Quæ autem bona in ecclesiam transferuntur, vt certum officium sacrum ob ea peragatur, ea demum in beneficium eriguntur, si auctoritas Episcopi vel Papæ accedat secundum qualitatem beneficiorum.

§. VI. Sunt enim *beneficia* vel *maiora* vel *minora.* Illa sunt, quæ annexam habent dignitatem vel personarum, vt Archiepiscopatus, Episcopatus, Prælaturæ, Abbatiæ, Balliuiæ, Præposituræ &c. vid. *I. P. art. V.* §. *14.* qualia eriguntur hodie auctoritate Pontificis *c. 8. de excess. prel.* olim etiam Cæsarum. Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. II, c. 8. 9.* Vbi certus numerus ex prima fundatione determinatus adest, potest Pontifex etiam supernumerarium canonicatum creare. *c. 25. X. h. t.* Hoc tamen in Germania limitandum secundum *art. V. I. P. §. 23.* quoad *mixtos Episcopatus*, vbi cautum est, vt in posterum tantum ille numerus conseruetur, qui fuit *anno 1624. d. 1 Ian.* nec ergo in his Pontifex supernumerarium canonicatum creare potest; adeo vt si supernumerarii postea reperti fuerint, his defunctis,

res reduci debeat ad statum temporis anni 1624. *Minora* vero beneficia etiam Episcopus in sua Diœcesi constituere potest.

§. VII. Porro alia beneficia sunt *mediata*, alia *immediata*. Hæc dicuntur, vel *ratione imperii*, quæ non sunt sub alterius status superioritate territoriali, vel ratione *Diœcesos*, quæ non sunt sub iurisdictione Episcopi. Illa quæ sint, facile ex his dictis apparet. Alia porro sunt *regularia*, alia *secularia*. Alia *curata*, alia *simplicia*. Alia *electiua*, alia *collatiua* &c.

MEMBRVM II.

DE COLLATIONE BENEFICIORVM ORDINARIA ET EXTRAORDINARIA.

§. I.

COLLATIO prædicatur de beneficiis minoribus, quatenus *electioni* opponitur, estque vel *libera* vel *non libera*. Hæc fit ad præcedentem præsentationem, de qua supra actum est: illa vero nulli præsentationi adstricta est, estque vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. Illa ad *Episcopum* vel *Prælatum*, *Episcopalia exercentem*, spectat, vtpote qui ab an-

antiquo dispensationem bonorum habuit, & inde instar domini feudi censendus. Confert vero vel *solitarie* vel cum capitulo. Hoc casu etiam solum capitulum conferre potest, si sedens vacans vel impedita est *c. 1. ne sed. vac. in 6.* Quandoque etiam per *turnum* collatio inter Episcopum & Capitulum diuiditur, & denique nonnunquam collatio quorundam beneficiorum ex more antiquo *solitarie* capitulo competit.

§. II. Multum hoc casu intereſt ratione *iuris deuolutionis.* Vbi vel *solitarie* Episcopo, vel capitulo collatio competit, & intra præscriptum tempus collatio haud facta est, Episcopus supplet negligentiam capituli, & vice versa: vbi vero collatio ad Episcopum & capitulum simul spectat, in casu negligentiæ deuolutio fit ad superiorem, scilicet Archiepiscopum, siue *coniunctim* siue *diuisim*, per turnum conferant. Linkius *ad tit. X. de supplend. neglig. Prælat. §. 3.*

§. III. Conferenda sunt beneficia clericis aut canonicis. In Germania tamen vi *I. P. art. V. §. 15.* alii conferri nequit, quam ad quam religionem beneficium istud vigore transactionis illius pertinet, id quod ex anno *1624. d. 1. Ian.* æstimandum est, si vel maxime iure deuolutionis conferantur per *I. P. art. V. §. 26.* Vtrum vero nobilibus an ignobilibus conferatur, nihil refert *c. 37. de*

 præb.

præb. vbi id fundationibus non aduersatur. *I. P. art. V.* §. 17. Sunt enim capitula quædam, ad hoc fundata, vt tantum beneficia conferantur nobili & antiquo stemmate natis, quod etiam Papa, saltim quoad Germaniam, obseruat, quando in mense Papali beneficium tale confert. Conf. Dn. Stryk *de iure Papal. Princ. euang. c. V.* §. 6. *seqq.*

§. IV. *Extraordinaria* collatio fit per Pontificem, qui se omnium beneficiorum per totum orbem Dominum iactat, & ita liberrime ea confert. *c. 2. de præb. in 6.* Sed hi conatus Papales sunt æui recentioris, vti fatetur Duarrenus *de SS. eccles. minist. lib. V. c. 8.* & a seculi XII. moribus repetendi, quibus ipsis Papa iura Episcoporum turbauit. Confert vero vel *reseruando* suæ collationi beneficia, vel *expectatiuam* concedendo in non-vacantia, vel *mandatum de prouidendo* concedendo, vel *directo conferendo*, vel denique *extra ordinem prouidendo.*

§. V. Reseruationes vel iure scripto factæ sunt, vel fiunt a Papa in ingressu Regiminis per *regulas Cancellariæ*, qua de materia plenius agit Engel in *coll. iur. canon. ad tit. de præb. & dignit.* Iure scripto reseruata sunt Pontifici omnia beneficia, apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia h. e. quando clericus, qui in curia Romana propter

pter quodcunque negotium versatur, vel ibi vel intra duas diætas legales moritur *c. 2.3.34. h.t. in 6. clem. 1. vt lit. pendent.*, quod confirmatum est Pontifici in *concordatis nationis Germanicæ*. Idem ius Papale Principibus quoque nostris adscribit B. Dn. Stryk *cit. l. c. III.* §. 3.

§. VI. Quoad reliqua beneficia, apud sedem Romanam non-vacantia, reseruata quoque Pontifici sunt illa beneficia per Germaniam, quæ mense *Ianuario*, *Martio*, *Maio*, *Iulio*, *Septembri*, *Nouembri* vacare incipiunt: reliqui menses ordinario collatori relicti sunt. Similiter Archiepiscopi exemplo Pontificis sibi in quibusdam mensibus collationem extraordinariam acquisierunt, quorsum collimat *I. P. art. V.* §. *26.* ibi: *Conferant etiam Archiepiscopi, & quibus aliis id iuris competit, beneficia mensium extraordinariorum.* Postquam vero omnis Papæ iurisdictio in terris protestantium suspensa est, etiam *menses Papales* ei denegari debuere per *I. P. art. V.* §. *19.* in quo ius ipsum non est sublatum, sed tantum iniusto ereptum possessori. Vnde Principes in terris Protestantium hodie hos menses optimo iure exercent. Vid. Rhetius *in Iur. publ. lib. I. tit. 16. §. 8. in f.* In capitulis immediatis, vbi vtriusque religionis capitulares adsunt, menses Papales per *I. P. art. V.* §. *20.* confirmati sunt (1) si

 ex

ex numero Catholicorum canonicus in eis decesserit (2) si menses Papales anni 1624. in vsu fuerint. In his mensibus Papa intra tres menses a die notæ vacationis conferre debet beneficia, quibus elapsis, ordinarius de illo libere disponit per *concord. Nat. Germ.* quorsum collimat *I. P. art. V.* §. *20. in f. modo Papalis prouisio capitulis immediate e curia Romana & tempore legitimo insinuetur.* Neque enim nuncii Apostolici in Germania id tentare possunt.

§. VII. Prouisio per *expectiuas* fit, quando Papa in non-vacantia, quæ tamen ad eius collationem spectant, ius alicui tribuit *c. 2. de præb. in 6.* quod solius Papæ reseruatum est, vt nec a legatis eius exerceri possit. Atq; hoc iure etiam in terris Protestantium similiter vtuntur Principes, quoad beneficia, quæ ad eorum collationem spectant. Vid. B. Dn. Stryk. *cit. l. c. III.* §. *6.*

§. VIII. Mandata *de prouidendo* dirigit Pontifex ad ordinarium collatorem, eique mandat, vt certæ personæ de certo beneficio vel iam vacante vel vacaturo prouideat. Originem trahunt ex *commendationibus* & *precibus* Papalibus, quæ postea in mandata degenerarunt. Natal. Alexander *in Differt. eccles. ad Secul. XI. & XII. c. 7. art. 6.* §. *4.* quæ tamen hodie attemperanda sunt ad terminos concordatorum nationis Germanicæ.

Hu-

Huiusmodi mandata ſunt ſtrictæ interpretationis *c. 16. de præb. in 6.* quod variis exemplis illuſtrat Coruinus *in Aphor. Iur. Canon. lib. II. tit. 29. §. 24. ſeqq.* Lancellottum in plerisque ſecutus. Ipſa *actualis collatio* a Pontifice fit, ſine vllo mandato, potiſſimum in beneficiis reſeruatis.

§. IX. Denique Pontifex quoque adhuc *extra ordinem* prouidet de beneficiis, quæ per depoſitionem, translationem, poſtulationis reprobationem, vacant, vel vbi ex iure deuolutionis ius conferendi acquiſiuit. Linck *ad concord. c. 2. n. 28.* quod ius quoq; B. Dn. Stryk *cit. l. c. III. §. 4.* Principibus in terris Proteſtantium tribuit.

MEMBRVM III.

De

IVRE PRECVM PRIMARIARVM.

§. I.

IVS PRECVM PRIMARIARVM fere eandem originem habet, quam mandata Papalia de prouidendo. Preces Principum nihil aliud ab initio erant quam *commendationes,* quarum tamen non ſemper rationem habebant Epiſcopi, vti oſtendit Natal. Alexander *Diſſ. eccleſ. ad Sec. XI. & XII. c. VII.*

art. 6. §. *6.* & plenius probat Ludov. Thomassin. *de vet. & noua eccles. discipl.* P. *II. lib.* 1. *c.* 54. Rudolphus imperator seculo XIII. iam ad consuetudinem prouocat, & inde ius sibi tribuit *super vnius collatione beneficii.* Thomassin. *cit. l.* §. 7. Nam & modestia Pontificum abinitio non vlterius progrediebatur, & vnum tantum mandatum ad singulas ecclesias dirigebant, obseruante Espenio *in iur. eccles. P. II. tit.* 23. *c.* 1. §. 17.

§. II. Non ergo ex gratia & priuilegio Pontificis Romani hoc ius exercuerunt imperatores, vti quidam somniant, sed ex *veteri consuetudine,* ad quam Carolus IV. prouocat in diplomate apud Anton. Matthaei *de nobil. lib. II. c.* 48. *p.* 747. ibi: *Cum itaque nobis tam de iure quam antiqua & approbata consuetudine a diuis Romanorum Imperatoribus & Regibus praedecessoribus nostris hactenus obseruata competat.*

§. III. Imperatori hoc ius confirmatum est in I. P. tam quoad bona ecclesiastica *immediata, art. V.* §. 19. quam *mediata art. V.* §. 26. modo 1) quoad haec *anno* 1624. *d.* 1. *Ian.* ibi primarias exercuerit preces, 2) habilem ad beneficium vacans nominauerit, de quo in §. 19. *cit.* disponitur. Hoc idem ius hodie principes protestantes exercent in capitulis sibi subiectis, eodem iure, quo Caesar, neque amplius imperatori integrum videtur, in protestantium territoriis illud exercere,

post-

poſtquam horum capitulorum ſtatus plane mutatus eſt, & eo modo hodie ſtatibus Proteſtantibus, quo olim imperatori, ſubiecta ſunt, adeoque idem ius quoque illis *ſolitarie* competere debet. Atque hoc ipſum eo minus in dubium vocandum, quo magis conſtat, olim principes quandoque hoc ius *ſolitarie* exercuiſſe in bonis eccleſiaſticis mediatis. Patet hoc ex diplomate Bernhardi & Henrici Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium *de anno* 1392. apud Dn. Leibnitium *tom. II. ſcript. Brunſuic. p.* 397. vbi ita: *Wanne ok en Vorſte unſe vorſchreuene Herſchop Luneborch erſt entfanget to vorſtande, ſo giſt deme vorſten en jewelk cloſter ene gheſtlike Prouende. Desghelik ghiſt me ok den Vörſten en Prouende, vvanne ſe echte Vrovven nemet, und nicht mer, und vmme anders nener Zake vvillen; vor vvene ze, na der clöſtere Ghezette vvonheit vnd Rechte, denne biddet. Vnd vveme vve de Prouende vvelk geuet, de vville vve benomen in unſerne breue.*

§. IV. Vindicant idem ius nonnulli vicariis Imperii. vid. D. Grubneri *diſſert. de precibus primar. vicarior. Imperii* ob verba A. B. *c. V.* ibi: *cum poteſtate iudicia exercendi ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi*, quæ ſententia tamen multis inuoluta eſt dubiis, adeoque potius ſuſpendere iudicium, quam certi

quid in re tam controuersa determinare iuuat.

§. V. Maior certitudo est iuris, Augustæ competentis circa primarias preces. Et quidem imperatricem id exercuisse patet ex diplomate a Besoldo *tr. de censib. & magistr. in f.* adducto. Simili ratione in capitulis fœmininis ditionum protestantium serenissimas principes id exercere, patet ex actis, quæ Schilter *in tr. de libert. eccles. Germ. in fine* adduxit.

§. VI. Habent primariæ preces effectum, dummodo per illas habili prouisum fuerit. Huc potissimum pertinet, vt non alius præsentetur, quam ei religioni addictus, cui secundum terminum de *anno* 1624. *d.* 1. *Ian.* præbenda vacans conferenda est per *I. P. art. V.* §. 18. Et ita catholico per primarias preces prouideri nequit de beneficio vacante, quod A. C. addictus possedit, cui non alius, quam A. C. addictus succedere potest.

MEM-

MEMBRVM IV.

DE ANNATIS.

§. I.

ANnatarum originem ſatis abſurde deducit Fagnanus *ad c. 1. X. ne prӕl. vices ſuas n.* 15. a temporibus Apoſtolorum, vbi annatas pluribus defendit. Solidioribus argumentis earum originem refert P. de Marca *de C. S. & imp. lib. VI. c. 10. ſeq.* quӕ etiam confirmatӕ ſunt in *Concord. Nat. Germ. in f.* Olim reges ſub titulo *iuris regaliarum* quoque percipiebant vacantium beneficiorum fructus, quӕ ad eorum collationem ſpectabant, quin etiam Epiſcopi *iure Deportus* illorum beneficiorum, quӕ conferebant, fructus per annum percipiebant, vnde hi fructus quoque *annatӕ* dici poſſunt: ſed non eӕdem ſunt, de quibus hic agitur, vti dixi ad Petrum de Marca *Obſ. V. ad cap. 10. cit.*

§. II. *ANNATAE* propriӕ dictӕ ſunt *reditus vnius anni ab eo, qui recens in demortui Prӕlati locum ſuccedit, ſolui ſummo Pontifici ſolitus.* Non quidem totius anni fructus ſoluuntur, ſed loco eorum certa quӕdam taxa; interim ta-

tamen ita communiter definiuntur. Sic itaque Annatæ exiguntur a nouo Prælato. Primitus solutæ sunt ob *collationem* a Pontifice factam, quia olim pleraque beneficia conferebat; Ioannes XXII. postmodum de aliis quoque certo modo annatas exegit, quod tandem in ius perpetuum abiit. Ante concilium Constantiense Papa & *ius regaliarum* & *annatarum* exercuit, illud vero in eodem concilio remisit, non hoc, ex quo patet, duo hæc iura haud esse confundenda. Equidem in concil. Basil. *seß. 12.* annatæ sunt abrogatæ, sed sub hac conditione, vt certa prouisio Pontifici indulgeretur a concilio, quæ cum non facta sit, annatarum vsus saluus mansit. Quæ cum ita sint, facile apparet, errare eos, qui originem annatarum a iure *regaliarum* deducunt, quæ duo iura tamen omnino differunt, vti *cit. l.* plenius obseruaui. Ceterum quam ingentes reditus inde Cameræ Pontificiæ obvenerint, docet Strauch *differt. iur. publ. V.* §. 21.

§. III. Reduxit Bonifacius IX. taxam annatarum ad medietatem valoris annui fructus, quam prouisus soluere debet. Fagnanus *cit. l. n. 10.* Cum vero Papæ potestas in terris protestantium prorsus sublata, & speciatim iura annatarum in I. P. *art. V.* §. 19. Pontifici denegata sint, superest quæstio, an

hæc

hæc iura principes protestantes sibi vindicare queant? quod vel inde affirmo, quia iura ipsa haud sunt sublata, sed tantum iniustis possessoribus erepta. Ipsa beneficia ecclesiastica nullibi hoc tributi genere sunt liberata, sed Pontifici tantum ius suum ademtum. Cum ergo per *art. V. §. 48. I. P.* omnis iurisdictio ecclesiastica cum omnibus suis speciebus intra limites territorii sese continere debeat, principi territorii vtique integrum est, omnia iura exercere, quæ olim iniuste Pontifices & Episcopi in territoriis Protestantium exercuerunt.

TIT. VII.
DE
IVRE TEMPLORVM.

§. I.

IVs ædificandi templa primis Constantini temporibus singulis permissum fuit, ex qua libertate plura templa exstructa sunt. Ab his distinguebantur *oratoria*, quæ magnates in castris suis exstruebant, priuatorum sacrorum causa. Mox tamen prohibitum fuit, sine auctoritate Episcopi templa exstruere, & quamuis ita oratoriorum exstructio haud esset interdicta, non tamen in posterum permissum fuit, missas ibi facere, in

in quibus principalior cultus consistebat *c. 33. de consecr. D. 1.*

§. II. Quare hoc ius ædificandi templa restrictum fuerit ad consensum & auctoritatem Episcoporum, prodit Iustinianus in *Nou. 67. c. 1.* his verbis; *Multi simulantes fabricare quasi orationis domos, suis medentur languoribus, non orthodoxarum ecclesiarum fabricatores facti, sed speluncarum illicitarum.* Accessit quoque hæc ratio, quod superstitio in templis ædificandis hinc inde emergeret, quæ proinde refrenari debuit, vnde nec hodie nobiles in suis prædiis templa erigere possunt sine auctoritate superioris, hoc scilicet effectu, vt cultus sacer ordinarius in iis exerceatur, & ministrum ecclesiæ iis præficere possint. Oratoria exstruere non prohibentur, modo exercitium religionis publicum ibi non habeatur.

§. III. In exstruendis templis I) requiritur *iusta causa*, qualis est incrementum populi, commoditas plebis *c. 3. X. de eccles. ædif.* II) *causæ cognitio* instituenda a magistratu ecclesiastico, vbi quoque audiendi sunt, qui ius prohibendi habent, veluti si intra Parochiam ecclesia exstruatur, *c. 3. cit. c. 51. C. 16. q. 1.* quamuis si vtilitas euidens adsit, hæc prohibitio, ex iure Parochiali deducta, haud adeo attendi debeat. Espen. *de iur. eccles. P. 2. tit. 16. c. 3. n. 17.* Porro de

loco

loco quoque & *congrua dote* cognitio instituenda, & tandem III) Decretum subsequitur.

§. IV. Nec hoc quoque omittendum est, ipsam exstructionem debere, *iure permisso*, fieri. Quoad ciuitates mixtas, vbi vtraque religio prædominatur, valde controuertitur, an alteri partium licitum sit noua exstruere templa? quod catholici affirmant *per art. V.* §. 29. *I. P.* sed protestantes negant, vti obseruat Autor *meditat. ad I. P. cit. l. p.* 460. Sane quia vtrique parti liber religionis vsus relictus est, ad quem etiam templa spectant, exstructio hæc quoque concessa videtur.

§. V. Quamuis vero in terris protestantium templa ad ius summum principum pertineant, temperandum tamen hoc est secundum terminum anni 1624. ita vt si Catholici eo tempore templa possederint, hæc illis auferri, & sacris protestantium, & vice versa quoque, applicari nequeant per *I. P. art. V.* §. 51. *&* §. *VII.* §. 1. Imo si princeps mutaverit religionem, aulicum templum quidem sacris suæ religionis destinare potest, sed reliqua templa pristino religionis exercitio relinquere debet *art. cit. VII.* §. 1. Quodsi vero templum vacuum sit ab omni exercitio religionis, ita vt nec anno 1624. religionis exercitium ibi fuerit, crederem, hu-

huiusmodi templum dispositioni domini territorii relinquendum esse.

§. VI. Qua forma templa ædificentur, nihil interest, quamuis olim ad formam crucis ea ædificata fuerint; Hodie leges ecclesiasticæ nihil hic determinant, sed architectorum arbitrio totam rem relinquunt. Similiter & reparatio ad certam formam non est restricta, nequidem in ciuitatibus *mixtæ religionis*; quamuis etiam in reparatione quædam contra antiquam formam a Protestantibus fiant, dum v. c. imagines sanctorum delentur: Sufficit enim, quod ipsum templum in pristino statu maneat, quo facto nihil contra Instrumentum Pacis fit, nec Catholici ius contradicendi habent.

§. VII. Ipsa templa variam denominationem accipiunt. Datur ecclesia *matrix* & *filia*, de qua diuersitate supra in materia *de unione ecclesiarum* actum. Dantur porro I) *ecclesiæ cathedrales*, vbi est cathedra Episcopi, vulgo der Dom. Dom enim idem quod *ecclesia*, forsan a *dominico*, vt putat Anton. Matthæi *de nobil. lib. 2. c. 30. in f.* vel a Domo Episcopi. vid. Id. *cit. l. p. 538.* Imo etiam Münster *monasterium*, quatenus canonici regulares ibi fuerunt. II) *Collegiata* Das Unterstifft, in qua est collegium canonicorum, sed absque sede Episcopali. III] *Conuentualis*, quæ in vsus monachorum est exstructa. IV] *Paro-*

rochialis quæ Paroecianos complectitur, & certam plebem adscriptam habet. In hac omnes actus Parochiales expediuntur, non item in conuentuali. Huic subiecta sunt quandoque capellæ & oratoria, quæ certa plebe destituuntur, quibus tamen præest *Capellanus*. Quandoque autem illa Parochiali haud sunt subiecta, vt quæ sunt in *aulis* & *academiis*. Dantur porro ecclesiæ *titulatæ* & *commendatæ*, quas *commendas* vocant. Illas *iure proprio* Parochus vel minister ecclesiæ possidet, has vero per modum *commendationis*.

§. VIII. Quæcunque demum ecclesiæ fuerint, solent quidem ritu quodam pio vsibus sacris destinari; ast inde illæ ipsæ *sacræ* non fiunt, nec ita dici possunt, neque in sensu *iuris antiqui ciuilis*, neque *Mosaici*. Sunt potius inter publicas res referendæ, & ita ad dispositionem Principis pertinent, quatenus Instrumentum Pacis non resistit.

Tit. IIX.

De AEDIBVS ET REBVS ECCLESIARVM.

§. I.

De *decimis* aliisque *fructibus Parochialibus*

R ple-

plenius egi in *iure Parochiali Sect. VI.* vbi simul quoque de *salariis* ministrorum ecclesiæ quædam attuli. Vtique ratio naturalis dictitat, quod & Paulus *epist. I. ad Corinth. IX.* vrget, vt his, qui ecclesiæ inseruiunt, de sufficiente salario prouideatur, ita vt, magis de eo augendo, quam diminuendo cogitandum sit, vti præclare ostendit Dn. Thomasius *de aug. salar. ministr. eccles.* Id quod si fieret, cetera iura stolæ, quæ plus invidiæ secum trahunt, facilius cessare possent.

§. II. Hoc certum est, per plura secula, contra hæc iura disputatum fuisse. In Concil. Remensi anno 1049. celebrato *c. 5.* cautum est, *ne quis pro sepultura, vel baptismo, siue pro eucharistia, aut infirmorum visitatione quidquam exigeret.* Pluribus aliis Conciliis idem statutum esse, late probauit Thomassin. *de vet. & nov. eccl. discipl. P. III. lib. I. c. 72.* Hoc expeditum est, huiusmodi honoraria, vel, vti vocantur, *accidentia* ab initio fuisse liberæ voluntatis, quæ tamen postmodum in necessitatem transierunt, & titulo *laudabilium consuetudinum* confirmata sunt in *c. 42. X. de Simon.* Dicuntur ita, quod *iure scripto* non debeantur, sed *consuetudine* introducta sint, quæ proinde, si dubia est, probari debet. Hac probata, pro his iuribus exigendis dant *actiones confessorias vtiles.*

§. III.

§. III. Dixi, hæc honoraria ab initio fuiſſe *ſponte* oblata, dubium ergo eſt, quomodo in *neceſſitatem* abire potuerint? videlicet eodem modo, quo aliæ conſuetudines introducuntur. Ex eis, quæ ab initio ſponte fiunt, facile poſteris ingenerari poteſt opinio neceſſitatis, & quia hi eadem honoria non *ſponte*, ſed quaſi *ex debito iuſtitiæ* offerunt, tandem in conſuetudinem abeunt. Vnde non ſufficit probaſſe, huiusmodi honoraria eſſe præſtita, ſed docendum quoque, ea hactenus tanquam ex *neceſſitate* fuiſſe ſoluta.

§. IV. Ex quo patet, Parochum nummos miſſales & confesſionarios iis in locis exigere non poſſe, in quibus conſuetudo talis doceri nequit. Quamuis enim in plerisq; aliis eccleſiis debeantur, conſuetudines tamen quarundam eccleſiarum aliis eccleſiis legem haud faciunt, neque *ius ſcriptum eccleſiaſticum* pro illis exigendis allegari poteſt.

§. V. Quamuis vero conſultius foret, iura ſtolæ plane abolere, hoc tamen vel ideo commode fieri nequit, quod Parochis in partem ſalarii asſignari ſoleant, adeoque cum plerumque hoc ſatis modicum ſit, aut hoc augendum, aut *laudabiles conſuetudines*, vti vocantur, iis ſunt permittendæ. Illud quoque addo, optandum fore, vt æqualis diuiſio omnium accidentalium inter Parochos

 chos

chos vnius ecclesiæ fieret, vt semina inuidiæ exstinguerentur Mev. *P. 3. D. 219.* B. Dn. Stryk. *ad ius eccl. Brunnem. lib. II. c. 5.* §. 6.

Tit. IX.

DE ELEEMOSYNIS.

§. I.

Recte Autor monet, inter *res ecclesiasticas* eleemosynas esse referendas, cum omnia bona ecclesiastica *pauperum* esse censeantur, vt plenius probauit Io. Launoius *de cura ecclesiæ pro miseris & pauperibus.* Idem thema late prosequitur Ludouicus Thomassinus *de V. & N. eccl. Discipl. P. III. lib. 3. c. 26. seqq.* Obseruatio hæc hunc præstat vsum, vt inde constet, quale esse debeat officium eorum, qui dispensant bona ecclesiastica; qui tamen hodie magis cogitant, de corradendis, quam in vsum pauperum conuertendis pecuniis. Vnde Princeps recte præscribit ecclesiis singulis, quantum quotannis in vsus pauperum erogare debeant.

§. II. Cum vero præterea alia onera ex reditibus ecclesiasticis olim essent sustinenda,

da,

da, *quarta* eorum vſibus pauperum eſt deſtinata, inde *quarta pauperum* dicta, quæ per plura ſecula obtinuit, ſed hodie fere ignota eſt. Vnde dubitari cœpit, annon Princeps in quibuscunque eccleſiis, etiam cathedralibus, eam reducere poſſit? Quod vel inde affirmandum iudico, quia quamdiu *bona eccleſiaſtica* qualitatem ſuam retinent, nec ad ſecularem conuertuntur vſum, finem quoq; eccleſiaſticum, qui eſt ſuſtentatio pauperum, retinere debeant. Aut ergo eccleſiaſtica non amplius dicenda, aut debitus finis rurſus introducendus. Præſcriptio nulla hic allegari poteſt, poſtquam qualitatem priſtinam haud amiſerunt.

§. III. Non tantum vero bona eccleſiæ dicta ſunt bona pauperum, *c. 1. D. 96. c. 6. C. 1. q. 2. c. 8. C. 1. q. 2. c. 9. C. 1. q. 2. c. 1. C. 10. q. 2. c. 59. & 68. C. 16. q. 3. c. 28. C. 12. q.* 1. ſed in eorum vſus quoque a primis eccleſiæ temporibus eleemoſynæ collectæ, teſte Iuſtino, Tertulliano aliisque. Atque huc hodie pertinent *oblationes, quæ fiunt per ſacculum ſonantem*, de quibus Dn. Wilduogel *ſpeciali Diſſ.* egit. Equidem collectio pecuniæ in vſus pauperum priuatim a ſingulis fieri poteſt; aſt *publica collectio* in eccleſiis eius auctoritate ſuſcipienda, qui ordinem in eccleſia ſeruandum dirigit; non quod ad liturgica ſpectet, ſed quod collectio *publice*

fiat, quæ non aliter, quam publica auctoritate imperari poteſt.

§. IV. Hoc itaque ſatis conſtat, neque Parochum, neq; eccleſiæ Patronum, nec Magiſtratum inferiorem huiusmodi collectiones inſtituere poſſe. Diuerſa cauſa eſt *eccleſiarum priuatarum*, quæ priuato diriguntur ipſius eccleſiæ arbitrio. An vero huiusmodi *collectiones* ad *actus iuris Parochialis* ſpectent, ita vt eccleſiæ Parochiali ius prohibendi competat, ne in eccleſia non-parochiali inſtituantur, de eo dixi *Sect. IV. Iur. Paroch. c. 1. §. 30.*

Tit. X.
DE SPONSALIBVS.

§. I.

IVs canonicum eodem modo definit *SPONSALIA*, quo ius ciuile, & quia ſunt promiſſiones mutuæ *de futuro matrimonio, c. 3. C. 30. qu. 5.* inde illa ſponſalia *de futuro* vocant, quæ vera & proprie dicta ſponſalia ſunt, ſiue *pura* ſint, ſiue *conditionata c. 2. X. h. t.* Vnde patet minus recte Autorem aſſerere *§. III.* Sponſalia *de futuro* de iure canon. dici ea, quæ ſub conditione contracta ſunt. Reſpexere canones ad conſen-

ſum

ſum *ſponſalitium*, qui ſponſalia proprie dicta conſtituit, ſiue *pura*, ſiue *conditionata* ſint. Atque hæc tantum in foris Proteſtantium habemus, quamuis *pura* de præſenti, *conditionata* de futuro dicere ſoleamus, ſed non ſine inſigni huius doctrinæ incommodo.

§. II. Quia vero conſenſus, *de matrimonio præſente* declaratus, facit matrimonium, non concubitus, non ſolennis deductio in domum, aut benedictio ſacerdotalis, inde inualuit, vt, *ad ſponſalia conſtituenda indiſſolubilia*, deſponſati nonnunquam conſenſum matrimonialem ſtatim exprimerent, quæ ſponſalia dicta ſunt *de præſenti*, h. e. quod quoad *indiſſolubilitatem* pro præſenti matrimonio haberi debeant, quoad alios effectus iuris autem adhuc *nuda ſponſalia* ſint. *c. 9. X. h. t. c. 14. de conuerſ. coniug.* Atque hæc ſponſalia in noſtris eccleſiis plane incognita ſunt.

§. III. Præſtaret itaque, ſi tantum ſponſalia de futuro h. e. vera & proprie dicta retinerentur, reiectis ſponſalibus de præſenti, vtpote quæ non habemus in ſenſu iuris Canonici. Sed, infelici auſu, ICti Proteſtantes retinent eandem diuiſionem, & tamen repudiant definitiones canonicas, & nouas efformant, in quibus tamen mirifice variant, quia, ſi a mente canonum recedimus

dimus, ipsius diuisionis membra corruunt, nec amplius certum & distinctum rerum conceptum habent. Rerum moralium enim hæc est ratio, vt circumscriptam suam naturam a legibus accipiant, a quibus si recedimus, res ipsa quoque distinctum conceptum nullum amplius habet.

§. IV. Inde prima hæc & principalis confusio orta, quod fere omnes ad vnum sponsalia *de præsenti* in foris protestantium illa dicere soleant, quæ Canones de *futuro* dicunt, h. e. veræ & proprie dictæ desponsationes, & tamen, quod mirandum, sponsalibus hisce omnia iura applicent, quæ in iure Canonico sponsalibus *de præsenti* applicata sunt, quæ tamen omnia ex eo principio fluunt, quod illa per verba, matrimonium ipsum denotantia, contracta fuerint. Quæ autem sponsalia *de futuro* in nostris ecclesiis dici debeant, ibi quot capita, tot sensus reperiuntur. *Tractatus Sponsalitios* huc refert Carpz. *lib. II. I. E. def. 18. n. 6.* Autor noster cum Lauterbachio *sponsalia conditionata*. Alii *sponsalia impuberum*, alii *pactum de futuris sponsalibus* supponunt, alii aliter rem determinant.

§. V. Ex his diuersis definitionibus inconcinnæ conclusiones fluxerunt. Sic (1) sponsalia, quæ *pure atque absque omni conditione*

tione contrahuntur de futuro matrimonio, in iure canonico dicuntur *de futuro c. 2. X. de Sponsalibus*; sed in foris protestantium *de praesenti*. Inde canonico iure haec dicuntur *dissolubilia*, vel mutuo dissensu, *c. 2. cit. c. 17. X. h. t.* vel etiam vnius *c. 17. X. b. t. c. 10. X. eod.* Ast quia in foris Protestantium *de praesenti* dicuntur, indissolubilia censentur, quia ius canonicum illa, quae *de praesenti* dicuntur, dissolui non posse censet *c. 31. X. h. t. c. 3. X. de Spons. duor.* Carpz. *lib. II. def.* 133. *sqq.* E contrario dispositiones iuris Canonici, quae de Sponsalibus *de futuro* dicuntur, applicant vel tractatibus sponsalitiis vel sponsalibus conditicnatis, prout quisque sibi haec concipit, quam incongruam iurium applicationem iam dudum animaduertit B. Dn. Stryk de *diss. Sponsal. Sect. II. §. 5. seqq. & sect. III. §. 8. seqq.*

§. VI. Porro Canonistae asserunt, sponsalia *de praesenti* esse *matrimonium* propter verba, *de praesenti*, quibus *consensus matrimonialis* indicatur, id ipsum autem diserte negant de sponsalibus *de futuro*. Hanc doctrinam rursus Carpzovius passim applicat ad Sponsalia, quae in foris protestantium dicuntur *de praesenti*, quod tamen contra intentionem desponsatorum est, vtpote qui non matrimonium praesens, sed tantum desponsationem intendunt. Inde Sponsae de praesenti dant quidam priuilegia dotis, non de futu-

ro Hahn. *ad Wesemb. tit. in quib. cauſ. pign. n.* 12.

§. VII. Porro de iure Canonico ſponſalia *de futuro* poſſunt fieri *de praeſenti*, ſi iis concubitus accedit *c. 30. X. h. t.* quod rationem habet, quia ita *ipſo facto* deſponſati declarant conſenſum coniugalem, licet quoad alios effectus tantum ſponſalia adſint. Atque hoc ſenſu poſſet tolerari in foris noſtris diſtinctio inter ſponſalia *de futuro & de praeſenti*, vt illa dicerentur *mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum*; haec vero *ſponſalia concubitu conſummata*. Haec enim indiſſolubilia ſunt, non illa. Haec matrimonium *ſuo modo* dici poſſunt, non illa. Ex quo rurſus apparet, fallere Carpzovium, quando eundem effectum ſponſalibus *clandeſtinis* adſcribit, vtpote quae non poſſunt tranſire in matrimonium.

§. IIX. Praeter hanc diſtinctionem quoque notabilis eſt altera Sponſaliorum diviſio in *pura* & *conditionata*. Diuerſitas in eo eſt, quod pura inducant *impedimentum honeſtatis publicae*, non conditionata *c. vn. h. t. in 6.* quae diſtinctio olim haud obtinuit *c. 4. & 8. X. h. t. c.* 12. *de deſponſ. impub.* Vnde, quia deſponſatio impuberum reuera conditionata eſt, impedimentum nullum adfert, ſecus ac olim per *cit. c.* 12. quae diſtinctio etiam vſu fori agnita eſt. Carpz. *lib. II. I. E. def.*

def. 108. & 121. Schilter *in pr. iur. Rom. ex.* 46. §. 37.

§. IX. De aliis effectibus conditionatorum Sponſaliorum autor §. IV. agit. Circa turpem & impoſſibilem illud tantum monendum, illam minus recte pro non adiecta haberi, ſed potius Sponſalia eſſe plane nulla. Neque hæc ſententia fundata eſt in *c. f. X. de condit. oppoſ.* in quo euidenter non de *Sponſalibus* ſed *matrimonio iam conſummato*, cui turpis modus adiectus eſt, agitur, ſimulque diſponitur, quod modus turpis pro non adiecto haberi nec matrimonium propterea reſcindi debeat. Cypræus *de ſponſal. c. IIX. §. 6. n.* 3. Brouvver de *iur. connub. lib. I. c.* 21. *n.* 14. Zoeſ. *ad cit. tit. l. de condit. appoſ. n.* 22.

§. X. Ceterum ad naturam Sponſaliorum omnino pertinet, quod debeant eſſe *libera*, quod adeo extendunt, vt ne quidem pœnalis ſtipulatio iis adiici poſſit *c.* 29. *X. h. t.* Verum loquitur Pontifex aperte de Sponſalibus impuberum, quæ non debent hoc modo conſtringi, cum iis, pubertate accepta, integrum ſit, impune a Sponſalibus recedere. Puberes autem quemadmodum iuramento, ita quoque pœnali promiſſione, Sponſalia confirmare poſſunt. Reliqua ad hanc materiam ſpectantia, quæ Autor

ſatis

ſatis prolixe explicavit, hic non repetam.

TIT. XI.

DE NVPTIIS.

§. I.

Conceptus *matrimonii* in iure canonico maxime deprauatus eſt per ſententiam, quod ſit *Sacramentum*, vnde tot errores propullularunt, qui tam altas redices egerunt, vt in foris proteſtantium inſignis eorum copia ſuperſit, licet principium hoc vnanimiter reprobetur. Aiunt ſub matrimonio adumbrari vnionem Chriſti cum eccleſia, *Eph. V.* & inde rem Spiritualem eſſe. Aſt ſub agro, ſemine aliisque pluribus rebus terrenis adumbratur regnum Chriſti, quibus nulla ratione qualitas quædam Spiritualis adſcribi poteſt.

§. II. Accedit, quod ſecundum *gl. ad c.* 101. *&* 125. *C.* 1. *q.* 1. matrimonium gratiam per ſe non conferat, & quod præſentia Spiritus S. denegetur coniugibus eo tempore, quo concumbunt in *c.* 4. *C.* 32. *q.* 2. *c.* 3. *C.* 22. *q.* 2. *c.* 2. *inf. D.* 28. & quod denique non neceſſarius credatur presbyter ad ſacramenti huius conſtitutionem, cum ad reliqua tamen concurrat.

§. III.

§. III. Ceterum propter benedictionem sacerdotalem matrimonium nomen *sacramenti* accepisse Autor §. 2. notat, quod tamen Canonistæ constanter negant, cum etiam secundas nuptias verum sacramentum esse asserant, quibus benedictio nulla adhibetur. Andreas Valens. ad *tit. de Sponsal.* §. 6. Thom. Tamburinus *Theol. moral. lib. IIX. tr. 5. c. 2.* Gonzalez Tellez *ad c. I. X. de nupt. secund. n. 9. & ad c. 24. X. de Sponsal. n. 4.* Perspicue hoc testatur Innocentius III. in *c. 5. X. de digam. non ordin.* vbi ad Sacramenti huius *rationem constitutiuam* refert *commixtionem corporum*, aiens: *Profecto coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.* Supponit Pontifex verum matrimonium, ergo copulam sacerdotalem quoque supponit, & tamen negat, hoc esse Sacramentum, si deest commixtio corporum. Similiter Leo Papa, in *c. 17. C. 27. q. 2.* idem docet: *cum societas nuptiarum ita a principio constituta, vt præter commixtionem sexuum non habeant in se coniunctio Christi & ecclesiæ sacramentum, non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua non docetur fuisse nuptiale ministerium Conf. c. 36. ibid.*

§. IV. Conclusiones ex hoc principio de-

deducunt ſequentes: I) matrimonium reſcindi non poſſe, quia vnio Chriſti cum eccleſia eſt indiſſolubilis *c. 10. C. 27. q. 2. c. 1. X. de Sponſ. duor.* Inde inuenta eſt *ſeparatio quoad thorum & menſam*, ne matrimonium diſſolui videatur, vbi ſeparatio neceſſaria eſt. II) Inter infideles *verum* eſſe matrimonium, non tamen *ratum*, quia deeſt ſacramentum, & inde facile diſſolui poteſt. *c. 7. X. de diuort.* III) Non valere transactionem contra matrimonium *c. vlt. X. de transact.* nec IV) Iuramentum *c. 7. X. de ſent. & re iudic.* quod tamen ex erronea hypotheſi etiam Sponſalibus applicant, quod his iam inſit Sacramenti fides, id quod tamen nequidem pontificii ſtatuunt.

§. V. Imprimis vero V) inde inferunt, matrimonium eſſe cauſam Spiritualem, & ita in iudicio eccleſiaſtico pertractandam, ipſo Carpzovio teſte *lib. II. I. E. def.* 21. *n.* 7. 8. Conf. Ziegl. *ad Lancell. lib. III. tit.* 1. §. 3. *ad verba: qualis eſt matrimonii.* Cur vero Sponſaliorum cauſas huc referunt? forſan ob connexitatem, quamuis in his ratio ſacramenti deſit. Inde quoque in quibusdam locis cauſas Iudæorum matrimoniales ſecularia iudicia ſibi vindicant. VI) Inde quoque eſt, quod cauſæ matrimoniales, tanquam Spirituales, non transeant in

rem

rem iudicatam. *c.* 7. *X. de sent. & re iud. c.* 6. *X. de frigid. & malef.*

§. VI. Praeterea VII) inde deducunt, coniugium seruorum esse verum matrimonium, *c.* I. *X. de coniug. seruor.* quodcunque enim matrimonium rationem sacramenti habet, verum & legitimum dicunt IIX) Sponsalia etiam clandestina per *commixtionem corporum*, quae sacramentum constituit, transire in matrimonium *c.* 30. *X. de Sponsal. c. un. de despons. impub. in* 6. Vnde adhuc hodie matrimonii effectus habet, si forsan Ἱερολογία sequi non possit. Addunt quidam IX) inde quoque dependere necessitatem benedictionis sacerdotalis, & quod in ecclesia haec fieri debeat, id quod non puto, prout antea dixi.

§. VII. Potius huc X) pertinet, quod polygamia capitali afficienda sit poena, ob profanationem Sacramenti; Imo rigor poenarum adulterii huc quoque derivandus. Forsan conceptus Sacramenti in causa est, quod contra Polygamiam simultaneam tam acriter pugnetur, adeo vt omnis dispensatio hic excludatur, cum tamen α) nulla prohibitio adsit, & β) primitiuae ecclesiae Apostolicae praxis eam non reprobet. Et hoc eo magis mihi persuadeo, quia etiam XI) Polygamia successiua defectum sacramenti habere creditur *c.* 5. *X. de digam. non ordin.*

ordin. & inde tot odiis subiecta est *c. 1. X. de secund. nupt.* XII] Ingerere quoque asserunt, matrimonium inter caussas fauorabiles esse referendum, quod ex conceptu Sacramenti est.

§. IIX. Denique XIII] *concubinatum* negant matrimonium esse, quia rationem Sacramenti non habet. Commixtio corporum quidem adest, sed animorum consensus in matrimonium simul requiritur *c. 5. X. de digam. non ordin.* qui exprimitur in benedictione sacerdotali, vel in praecedentibus Sponsalibus. Conf. *tit. XIII.*

TIT. XII.
DE
DIVORTIIS.

§. I.

Diuortia regulariter esse prohibita, est potissimum ex ratione sacramenti, prout antea monui. Equidem nostrates excipiunt casum *adulterii* & *desertionis*, sed manent tamen adhuc in regula: *matrimonia esse indissolubilia.* Vt tamē exceptiones suas probent, prouocant ad Matt. XIX, 9. cum Autore in §. 5. vbi tamē maxime dubium est, an de solo *adulterio* Christus ibi loquatur. Norunt eruditi, Christum interrogatum fuisse de controuersia inter Iudaeos famosa de *licentia diuortii,*

eum.

eumque Schammai sententiam haud obscure approbasse. Præterea πορνεία quamvis denotat *turpitudinem*, quam potissimum Schammai vrgebat, cum contra Hillel, indulgentior maritis, quamcunque aliam causam admitteret Selden. *in vxor. Hebræa lib. III. c. 20.* Christum autem ad mentem Schammai commode intelligi posse idem docet *lib. III. c. 23.* vt proinde *quæuis turpitudo* & *κακία* intellecta videatur.

§. II. Non ergo dubium est, optimo iure dissolui posse matrimonium ob insidias vitæ structas. Quæ enim grauior malitia aut turpitudo excogitari potest? B. Dn. Stryk. *Diss. de diuort. ob insid. vit. struct.* Quæ in contrarium obiiciuntur, vel ex strictissima vocis πορνείας significatione, vel ex ratione, quod matrimonium sit sacramentum, fluunt. Imo cum σκληροκαρδία æque hodie, vti olim, in corrupto statu reipubl. vigeat, ob quam Moses indulserat diuortia, non videntur ea impedienda, si alia ratio ad concordiam reducendi coniuges desit.

§. III. Imo si dicendum, quod res est, maior hodie diuortiorum *certo respectu* videtur licentia ac quidem apud Iudæos. Vxores enim diuortium facere potuisse non constat, sed hoc ipsum *iuris maritalis* erat, & de hoc genere diserte loquitur Christus. Ast hodie etiam vxores diuortium faciunt

 a ma-

a maritis, si hic adulterium commisit.

§. IV. Vnde olim quoque non erat prohibitum diuortium ob infirmitatem vxoris, si viro non posset reddere debitum coniugale, modo subsidii opem non subtraheret ab illa, *quam infirmitas praepedit, non detestabilis culpa excludit*, vt dicitur in *c. 18. C. 32. qu. 7.* Et hanc causam etiam probat & pluribus argumentis confirmat Bruckner *Decis. matrimon. c. 23.* Ex quo simul patet, olim supervenientem impotentiam admissam fuisse, ad rescindendum coniugium.

§. V. Similiter ex eodem principio *de Sacramento matrimonii* originem trahit *separatio quoad thorum & mensam*, quod ipse Autor succincte ostendit in *histor. iur. circa dogma ecclesiae de dissolut. matrim. quoad vinculum*. Olim totale diuortium admissum fuisse, constat ex *c. 19. C. 32. qu. 7.* & *c. 23. ibid.* Primus fuit Augustinus, qui ob sacramenti rationem de dissolutione totali dubitare coepit, adeoque vt Christi doctrinam de diuortio ob πορνείαν illaesam seruaret, excogitauit distinctionem inter diuortium quoad *vinculum*, & *quoad thorum & mensam*, & de hac, non illa Christum intelligendum esse censuit. Haec tandem & scriptis defensa & statutis conciliorum stabilita & subinde certa ratione in praxin nostram est deducta.

TIT. XIII.
DE
CONCVBINATV.

§. I.

CONCVBINATVS olim erat matrimonium minus solenne, Romanis legibus admissus, nec iure canonico simpliciter reprobatus. Apparet hoc ex *c.4.D.34.* vbi ita: *Is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen vt vnius mulieris, aut vxoris aut concubinæ sit coniunctione contentus.* Item porro constat ex *c. 5. ibid.* Quin etiam Augustinus in *c. 6. C. 32. q. 2.* censet, talem concubinatum posse dici *connubium.*

§. II. Satis probabile autem est, concubinatum illam *consuetudinem* eo tempore dictam fuisse, quæ quidem coniugii causa erat inita, sed apud ecclesiam non professa, qualis professio iam Tertulliani temporibus erat introducta. Pseudo-Evaristus in *c. 1. C. 30. q. 5.* etiam huc collimat, coniugium haud aliter censeri legitimum seu solenne, nisi *quod precibus a Sacerdote benedicatur.* Licet vero tempore Augustini solennis benedictio legibus ciuilibus haud esset præcepta, vsitata tamen fuit hactenus, vt reliqua

coniugia, apud ecclesiam non professa, ad concubinatum, saltim a patribus, relata fuisse videantur.

§. III. Plures tamen ex patribus talem concubinatum reprobarunt, nec Augustino alia mens fuisse videtur *c. 6. D. 34.* Probavit hoc pluribus Ferdinandus Mendoza *lib. II. de confirmat. concil. Eliber. c. 8.* vnde constat, patres potissimum id egisse, vt benedictionem sacerdotalem tanquam ex *lege necessitatis* omnib⁹ matrimoniis praescriberent. Aliter enim hi, ac quidem leges Romanae, distinxisse videntur inter *legitimas vxores*, quippe quae in facie ecclesiae essent traditae, & *concubinas*, quae non ita traditae erant.

§. IV. Leo Imperator primus fuit, qui *benedictionem sacerdotalem in Nov. 89.* introduxit sub absoluta necessitate. Hoc facto, non potuit non concubinatum plane prohibere & inter illicita reputare in *Nov. 91.* Neque enim concubinatus aliud dici poterat, quam *consuetudo maris & feminae sine benedictione contracta:* hac enim accedente, statim erat legitimum matrimonium, vt sic sola benedictio distinguat concubinam a legitima vxore. Inde quoque est, vt quoties hodie personae quaedam longo tempore in tali consortio vixerunt, iis iniungi praecepto magistratus soleat, vt benedictione sacerdotali copulentur.

TIT.

Tit. XIV.
De
SEPVLTVRIS.

§. I.

MAteria de *SEPVLTVRA* ad ius ecclesiasticum quoque traducta est, quia ab omni tempore inter christianos moris fuit, piis ritibus mortuos sepelire, eorumque memoriam certo tempore sancte recolere. Accessere postea missae *pro anima* defuncti habendae, quo ipso tandem ritus sepulturae iuribus liturgicis adscripti sunt, vt proinde cognitio de iis ad ecclesiastica iudicia spectet.

§. II. Sicuti vero hi ritus arbitrarii sunt, ita non dubitandum, Principem circa solennia sepulturae dispensare posse, quae dispensatio plerumque Consistorio etiam competit. Quae dubia a quibusdam hic mota sunt, resoluit Ill. Dn. Thomasius *Diss. de iure Princip. circa solenn. sepult.*

§. III. Locus vbi quis sepelitur, non amplius, vt olim, arbitrarius est. Iam seculo VI. superstitio inualuerat, eligendi sepulturam in ecclesiis vid. *c. 18. Concil. Bracar. II.* Id quod cum indistincte concedi haud posset, permissum plerisque, vt extra ecclesiam in atrio eius sepelirentur, ex illa opinione, quod hic locus a sanctitate ecclesiae quid participaret *c. 15. C. 13. q. 2.* Tandem Con-

cilium Triburienſe ſepulturam eorum in ecclesiis admiſit, qui pietate claruerunt. Vid. Cabaſſutius ad *c. 18. Concil. Bracar. p. 268.* Quo ipſo in perpetuum morem abiit, vt cadauera vel in templis, vel in atriis eorum, quæ *cœmeteria* dicta, terræ mandarentur.

§. IV. Hæc cœmiteria hodie eriguntur ab Episcopo per adſperſionem *aquæ benedictæ.* Atque inde Carpz. *lib. 2. I. E. Def. 385.* concludit, erectionem cœmiterii eſſe *iuris episcopalis*, adeoque auctoritate Conſiſtorii faciendam. Verum cum fundamentum huius iuris episcopalis in totum in ecclesiis proteſtantium ceſſet, & reuera cœmiteria non ſint loca *religioſa*, ſed *publica*, magiſtratui politico harum conſtitutionem non eſſe denegandam, cenſet B. Dn. Stryk *in Vſ. mod. ad tit. de relig. §. II.*

§. V. Porro ſicuti circa ſingula templa atrium quoddam ſeparatum, & ſepeliendis cadaueribus deſtinatum eſt, ita mox ſepultura *actibus Parochialibus* adſcripta eſt, præſertim cum liturgiam deſideraret. Vnde adhuc hodie quilibet ſepeliendus in propria Parochia *c. 5. X. de ſepult.*, adeo vt ſi cadauer in aliena Parochia ſepultum ſit, Parocho remedium ſpolii indulgeant. Ziegler *ad can. redintegranda C. 3. q. 1. c. 6. §. 5.* Et quidem quoad ſepulturam iudicatur Parochia ex ſola habitatione, Murga *de benef.*

benef. eccleſ. qu. 2. §. 1. ſect. 2. concl. 2. n. 679. quæ etiam attenditur, ſi peregrini & viatores moriuntur, nec ad propriam Parochiam commode deportari poſſunt.


§. VI. Hoc adeo Parochi extenderunt, vt etiam funeralia exigere ſoleant, ſi vel maxime peregrinus in illa Parochia, in qua mortuus, haud ſepeliatur, ſed ad propriam deferatur. Quin quod hi quoque, per quorum Parochias ducitur funus, exigere funeralia ſoleant, nullo licet iure fundata, quod proinde grauiter improbant Peckius *de iur. ſiſtend. c. 5. n. 25.* B. Dn. Stryk *in Vſ. mod. ad tit. de relig. c. 1. §. 5.*

§. VII. Qui tamen *ſepulcra maiorum* habent, non ſunt neceſſario in eccleſia Parochiali ſepeliendi Murga *cit. l. n. 704.* Talia dicuntur, quæ ſepulturæ totius familiæ in perpetuum deſtinata ſunt, vnde etiam *familiaria* vocantur, quæ imprimis intuitu *iuris patronatus* acquiruntur. Espen *de Iur. eccleſ. P. II. tit. 38. c. 2. m. 49.* Cum his confundi non debent ſepulcra *hereditaria*, quæ quis ſibi *heredibusq.* acquirit, & in quosuis heredes transfert. vid. *Ius Paroch. Sect. IV. c. 2. §. 15.*


§. VIII. Præterea, quod Autor §. *III.* quoque docet, etiam permiſſum eſt, alibi eligere ſepulturam. Hoc priuilegium ab initio monaſteriis datum videtur, poſtquam apparuit, homines ea duci ſuperſtitione, vt

crederent, maiorem loco inesse sanctitatem, sibi ad consequendam salutem profuturam. Accessit insignis hæc ratio, quod extra Parochiam sepultura eligi non possit, nisi simul insigne legatum monasterio vel ecclesiæ illi relinqueretur, vbi defunctus sepulturam elegit, vnde ecclesia Parochialis quartam canonicam capit, *c. 1. & 9. X. h. t.* Inde in *c. 4. eod.* notantur excessus Monachorum, qui sollicitant ægrotantes ad eligendam in monasterio sepulturam, lucri causa.

§. IX. Denique sepultura quoque multum *in dubio* dependet ab *administratione sacrorum*. Nam (I) qui duplicem habet Parochiam, in ea est sepeliendus, cuius sacris interfuit vid. *ius Paroch. cit. l. §. 6.* (II) qui nulli Parochiæ addicti sunt, h. e. habitantes in ædibus liberis, in denen Frey-Häusern / ibi sepeliuntur, vbi sacra peragere soliti sunt.



ORIGINES
PRAECIPVARVM MATERIARVM
IVRIS ECCLE-SIASTICI
ex
vltima antiquitate euolutæ
&
ad ſtudium iuris canonici
accommodatæ
a
IVSTO HENNINGO BÖHMERO
D. & Prof. Iur. ordin. in
Regia Fridericiana.



CAPVT I.

DE ORIGINE ET CONSTITVTIONE ECCLESIARVM.

§. I.

ETsi in *dissert. IIX. iur. eccles. antiqui ad Plin. II. & Tertull.* fusius *de veteri ecclesiarum statu* edisseruerim, & simul originem earum euoluerim, vt non necesse videatur; denuo eandem materiam hic repetere, non inutile tamen aut intempestiuum visum fuit, quædam adhuc de hac materia adducere, quæ meditationem *cit. l.* adductam vlterius illustrare possent, vt tamen illa, quæ ibi fusius dicta sunt, vel plane præterirem, vel binis verbis tangerem.

§. II. Habet ecclesiæ denominatio ambiguam significationem, ergo quando de origine earum quæritur, ante omnia videndum, de quo significatu quæstio sit. Videlicet quæritur, *quando aut qua occasione pecu-*

lia-

liares Christianorum congregationes, a Iudaicis plane distinctae, sacrorum causa, factae fuerint, verba omnino distinctam a Iudaicis Synagogis constituerint ecclesiam, propriisque & separatis suis legibus vti coeperint.

§. III. Non ergo hic quaestio est 1) de origine *ecclesiae*, quatenus *fideles* in genere denotat, prout sumitur *Matth. XVI*, 18. *Rom. XVI*, 16. *1 Cor. XI*, 16. *XII*, 28. *XV*, 9. *Gal. I*, 3. *Ephes. I*, 22. *III*, 10. *V*, 23. *seqq.* 32. *Col. I*, 18. *2 Thessal. I*, 4. *1 Tim. III*, 15. *&c.* Nam origo ecclesiae in hoc sensu acceptae est a creatione primaeua repetenda, quamuis non semper ecclesiam quandam externam constituerit.

§. IV. Nec II) quaestio est de *ecclesiis*, quatenus *fideles* in certo loco commorantes & constitutos denotant, vt tamen a Iudaeorum sacris haud recesserint, & sacra peculiaria sibi constituerint. Hoc enim satis constat, statim post Christi ascensionem fieri mentionem *ecclesiae Hierosolymitanae*, quae nihil aliud denotat, quam *uniuersitatem fidelium ex Iudaeis in Christum credentium*, qui tamen a patriis moribus haud recesserunt, nec ecclesiam plane distinctam a Iudaeorum sacris constituerunt, sed communioni sacrorum Iudaicorum tenaciter adhaeserunt *Act. XXI*, 20. & licet saepius convenirent, non tamen semper sacrorum peculiarium causa conveniebant.

§. V.

§. V. Proinde quando *Act. II*, 47. *IV*, 32. *V*, 11. 14. *VI*, 2. 5. 7. *IIX*, 1. 3. *IX*, 31. *XI*, 22. 26. *XIII*, 1. *XIV*, 4. 23. 27. *XV*, 3. 4. *XVI*, 5. *XX*, 17. 28. fit mentio *ecclesiæ*, haud existimandum est, Hierosolymis fideles ex Iudæis se plane a Iudæis *quoad sacra* in totum separasse, & communioni sacrorum Iudaicorum renunciasse, quin potius, quod plerique non animadvertunt, *ecclesiæ* nomine veniunt, vt distinguantur a Iudæis infidelibus, qui Salvatorem nostrum Messiam fuisse negabant, salua de cetero sacrorum communione. Cœtus quidem peculiares agebant, vt agapas, & his finitis, post cœnium sacrum peragerent, & communes preces funderent: sed hoc a moribus Iudaicis haud abhorrebat, & ita nihilominus in communione sacrorum Iudaicorum permanere poterant. Et quamuis *Act. VI.* fideles ex Iudæis hortatu Apostolorum presbyteros constituerint, hi tamen non primario sacrorum, sed pauperum gratia constituti fuisse leguntur: cum enim inter se sincero pietatis amore conspirarent, & bona quæuis communia haberent, subinde etiam pauperum insignis multitudo adesset, omnino necessum fuit, illis *percuratores* idoneos prospicere, qui dispensandis bonis incumberent. Sic etiam alibi quoque fideles, quatenus certo loco comprehenduntur, voce *ecclesiæ* denominantur,

vt

vt *Rom. XVI,* 1. 4. 5. *16. 23.* 1 *Cor. VI,* 4. 1 *Cor. XI, 22. XVI,* 1. 19. 2 *Cor. I,* 1. *IIX,* 1. 19. 23. 24. *XI,* 8. 28. *Gal. I,* 2. 22. *Phil. IV,* 15. *Col. IV,* 15. 16. 1 *Thessal. I,* 1. *II,* 14. 2 *Thess. I,* 1. 1 *Tim. III,* 5. *Apoc. I,* 11. *seqq.* in quibus locis itidem *vniuersitas fidelium,* certo loco comprehensa, designatur, non vero *congregata multitudo sacrorum peculiarium causa* praecise intelligitur.

§. VI. Fit praeterea hinc inde *domesticarum ecclesiarum* mentio, *Rom. XVI,* 5. 1 *Cor. XVI,* 19. *Phil. IV,* 22. *Col. IV,* 15. vnde tamen minime colligi potest, prout plurimi contendunt, quod in aedibus designatis peculiares coitiones sacrorum causa factae fuerint. Qui ita rem exponunt, ea persuasione ducuntur, quod Apostoli eodem significatu vocem *ecclesiae* vsurpauerint, vti quidem hodie vsurpari solet, & ita rem non ex aevi Apostolici sed sui temporis moribus aestimant.

§. VII. Quae cum ita sint, sedulo cauendum est, ne statim, vbi *ecclesiarum* fit mentio, nobis aliisque persuadeamus, ibi coitiones christianorum, peculiarium sacrorum caussa institutas, referri, sed potius ex *praedicato* aestimemus, quo *sensu* haec vox ambigua ibidem veniat. Fuere *ecclesiae* in plurimis locis. antequam communioni Iudaicae repudium mittere coactae sunt, quae tamen tales haud constituerunt *ecclesias,* quarum seculis se-

quen-

quentibus frequenter mentio iniicitur. Hoc eum in finem tantum præmonendum est, ne existimemus, Apostolos intendisse, sacra quædam peculiaria & plane noua fidelibus præscribere, & cœtus quosdam per modum reipublicæ nouæ erigere voluisse, id quod cum Christus haud tentauit, facile iudicari potest, etiam hoc ipsum ab eorum mente alienum fuisse.

§. IIX. Verum duæ potissimum causæ fuere, quæ fideles coegerunt, ut separatos plane cœtus a Iudæis, quibuscum antea adhuc vniti erant, instituerent: I) quia ethnici quoque Antiochiæ alibique fidem in Christum amplectebantur. II) quia Iudæorum insignis malitia tandem obstabat, quo minus vlterius communioni sacrorum Iudaicorum insistere possent, prout fusius ostendi in *in cit. diss. IIX.* inde fere vbique Christiani separatos a cœtibus Iudaicis instituerunt cœtus sacrorum causa, ad modum *Synagogarum Iudaicarum* formatos. Quia enim a Iudæis originem traxerunt, diu ritibus Iudaicis institerunt, & Synagogis eorum per aliquot annos interfuerunt, cœtus quoque suos, sacrorum causa institutos, ad imaginem Synagogarum eos instituisse credere par est, quemadmodum etiam cœtus suos post illam separationem *Synagogas* dixere. *Iac. II,* 2. *Hebr. X,* 25.

§. IX.

§. IX. Hæc ipsa origo ostendit, quod etiam Campegius Vitringa *de Synagoga vetere* fusius contendit, ecclesias Christianorum, pro cœtu sacrorum causa inito, sumtas haud fuisse efformatas ad imaginem *templi Iudaici*, in quo sacra sacerdotes cum Leuitis dirigebant, adeoque sacerdotium proprie dictum in illis nullum adfuisse, quæ opinio demum Seculo III. nata est, & insignem mutationem ecclesiis attulit, vti fusius *cit. diss. IIX.* declaratum est. Hac separatione a Iudaicis sacris facta, vox *ecclesia* denotare cœpit *congregationem fidelium, sacrorum causa institutam*, vti apparet ex *Act. XIV. 23. 27. XX. 7. 1 Cor. IV. 17. V. 4. XI. 18. 22. 23. XIV. 5. 12. 19. 28. 34. 35. Col. IV. 16. &c.*

§. X. Ex his adductis concludo *ecclesiam* & ante & post separationem a Iudaicis sacris factam, denotasse cœtum fidelium in Christum credentium, minime gentium vero ex iis constitutam fuisse peculiarem quandam rempublicam seu ordinem imperantium & parentium. Proinde summa omnium & libertas & æqualitas fuit, donec tandem, variis ingruentibus occasionibus, *cit. diss. IIX.* relatis & explicatis, status ecclesiarum mirifice mutatus fuerit.

CAP.

CAPVT II.

DE ORIGINE DIOECESIVM.

§. I.

DIOECESIS sumitur vel pro *prouincia*, in qua multæ vrbes vni præsidi parent: vel pro tractu plurium prouinciarum consociato, vnius imperio subiectarum, vti vicario vrbis parebant *prouinciæ suburbicariæ*. Posterius apud Romanos stricte *Diœcesis*, prius *prouincia* dicebatur. Petrus Ioseph Cantelius *Histor. Metropol. vrb. p. 3. in f.*

§. II. Quemadmodum vero orbis Romanus in vrbes, prouincias & Diœceses distributus erat, ita quoque politia ecclesiastica eodem modo diuidi tandem cepit in *Parochias*, *Prouincias* & *Diœceses*, cuius diuisionis origo non vno eodemque modo ab indagatoribus antiquitatum traditur.

§. III. Petrus de Marca *de conc. Sacerd. & Imper. lib. VI. c. 1.* hanc prouinciarum diuisionem Apostolis vindicat, eamque ad ecclesiarum gubernationem admodum necessariam fuisse contendit. Et quia in Imperio Romano religio christiana in primo suo flore mox adeo se diffudit, vt oppida, vicos

& integras regiones occuparet, referentibus Plinio II. *lib. X. epist. 97.* Tertull. *in Apol. c. I.* sapienter quoque Apostolos in ecclesiis distribuendis ciuilem imperii dispositionem retinuisse censet.

§. IV. Hoc ipsum colligi posse putat ex variis Apostolorum epistolis. Petrus enim scripsit ad Christianos per prouincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ & Asiæ dispersos, quorum mentionem secundum dispositionem prouinciarum facit. Paulus Christianorum in Macedonia & Achaia *Rom. XV, 26. 2 Cor. VIII, 1.* item in Galatia *1 Cor. XVI, 1.* & Asia *ibid. 19.* meminit. Idem Apostolus Titum se in insula Creta reliquisse ait, vt ordinaret prouinciam *Tit. I, 5.* In Apocalypsi memorantur septem ecclesiæ Asiæ proconsularis, quæ prouincia Imperii Romani erat. Et quia eius Metropolis Ephesus erat, inde ad Ephesios scribens ad vniuersam prouinciam Paulus scripsisse videtur. Sic *Act. XIX, 10.* Paulus Ephesi per biennium substitisse, atque illic omnes in Asia docuisse legitur, quorsum etiam collimare videtur Alexandri accusatio contra Paulum *Act. XIX, 26.* & ipsius Pauli seria adhortatio ad Presbyteros Ephesinos *Act. XX, 18.* Porro Achaiæ metropolis Corinthus erat, & eo consilio Paulus *2 Cor. I.* literas dirigit ad Corinthios, &

simul

ſimul ad omnes Chriſtianos in Achaia degentes. In epiſt. I. *ad Theſſal. IV*, 10. totius Macedoniæ mentionem iniicit, quia Theſſalonica metropolis huius prouinciæ erat. Atque hæc omnia ab Apoſtolis facta fuiſſe contendit eo conſilio, quod eccleſiæ ſecundum diſpoſitionem ciuilem in diſtinctas prouincias iam fuerint diuiſæ, quas hac de cauſa a prouinciis nominare par fuit.

§. V. Verum ab hoc conſilio Apoſtolos alieniſſimos fuiſſe, res ipſa docet, vtpote quos Chriſtus haud miſerat, vt rempublicam eccleſiaſticam formarent, eamque in certas & diſtinctas prouincias diſtribuerent, ſed potius, vt euangelium omnibus gentibus annunciarent, id quod ſecundum Chriſti intentionem omnino fieri debuit ſine tali politica diſpoſitione. Origo eccleſiarum paſſim extructarum plane contrarium docet, & Clemens in *epiſt. I. ad Corinth.* non hoc ſed illud tantum tradit, Apoſtolus per vicos & vrbes tranſeuntes verbum Dei prædicaſſe, & eccleſiis Præpoſitos & Diaconos dediſſe. Poſtquam itaque fideles in oppidis & prouinciis degebant, non potuere non ab illis deſignari, quemadmodum ſcholæ & alia collegia a locis, vbi reperiuntur, denominantur, vt tamen ea denominatione minime diſtributio quædam in pro-

& integras regiones occuparet, referentibus Plinio II. *lib. X. epist. 97.* Tertull. *in Apol. c. I.* sapienter quoque Apostolos in ecclesiis distribuendis ciuilem imperii dispositionem retinuisse censet.

§. IV. Hoc ipsum colligi posse putat ex variis Apostolorum epistolis. Petrus enim scripsit ad Christianos per prouincias Ponti, Galatiae, Cappadociae, Bithyniae & Asiae dispersos, quorum mentionem secundum dispositionem prouinciarum facit. Paulus Christianorum in Macedonia & Achaia *Rom. XV, 26. 2 Cor. VIII, 1.* item in Galatia *1 Cor. XVI, 1.* & Asia *ibid. 19.* meminit. Idem Apostolus Titum se in insula Creta reliquisse ait, vt ordinaret prouinciam *Tit. I, 5.* In Apocalypsi memorantur septem ecclesiae Asiae proconsularis, quae prouincia Imperii Romani erat. Et quia eius Metropolis Ephesus erat, inde ad Ephesios scribens ad vniuersam prouinciam Paulus scripsisse videtur. Sic *Act. XIX, 10.* Paulus Ephesi per biennium substitisse, atque illic omnes in Asia docuisse legitur, quorsum etiam collimare videtur Alexandri accusatio contra Paulum *Act. XIX, 26.* & ipsius Pauli seria adhortatio ad Presbyteros Ephesinos *Act. XX, 18.* Porro Achaiae metropolis Corinthus erat, & eo consilio Paulus *2 Cor. I.* literas dirigit ad Corinthios, & simul

ſimul ad omnes Chriſtianos in Achaia degentes. In epiſt. I. *ad Theſſal. IV*, 10. totius Macedoniæ mentionem iniicit, quia Theſſalonica metropolis huius prouinciæ erat. Atque hæc omnia ab Apoſtolis facta fuiſſe contendit eo conſilio, quod eccleſiæ ſecundum diſpoſitionem ciuilem in diſtinctas prouincias iam fuerint diuiſæ, quas hac de cauſa a prouinciis nominare parfuit.

§. V. Verum ab hoc conſilio Apoſtolos alieniſſimos fuiſſe, res ipſa docet, vtpote quos Chriſtus haud miſerat, vt rempublicam eccleſiaſticam formarent, eamque in certas & diſtinctas prouincias diſtribuerent, ſed potius, vt euangelium omnibus gentibus annunciarent, id quod ſecundum Chriſti intentionem omnino fieri debuit ſine tali politica diſpoſitione. Origo eccleſiarum paſſim extructarum plane contrarium docet, & Clemens in *epiſt. I. ad Corinth.* non hoc ſed illud tantum tradit, Apoſtolus per vicos & vrbes transeuntes verbum Dei prædicaſſe, & eccleſiis Præpoſitos & Diaconos dediſſe. Poſtquam itaque fideles in oppidis & prouinciis degebant, non potuere non ab illis deſignari, quemadmodum ſcholæ & alia collegia a locis, vbi reperiuntur, denominantur, vt tamen ea denominatione minime diſtributio quædam in pro-

vincias & Diœceſes intendatur, quo ipſo omnia Archiepiſcopi Pariſienſis argumenta corruunt.

§. V. Quin quod vbi poſt ſeculum III. de prouinciarum eccleſiaſticarum limitibus diſputari cepit, contendentes nunquam ad inſtitutum Apoſtolicum, quod vtique cauſæ eorum conduxiſſet, ſed ad mores & conſuetudines prouocauerint, vti conſtat ex *c. 6. 7. Concil. Nicæni, c. 8. Concil. Antioch.*, *&* *c. 8. Concil. Conſtantinop. I. c. 2. in f.*

§. VII. Atque hæc ipſa conſuetudo, quæ pro ratione decidendi in controuerſiis adducta fuit, ſatis fundata eſt. Erant ab initio omnes eccleſiæ inter ſe æquali fœdere coniunctæ, vt neutra alteri ſubiecta eſſet, pro qua æqualitate adhuc ſuo tempore grauiter pugnauit Cyprianus *de vnit. eccleſ.* & paſſim *in epiſtolis.* Vnionis nexu ita inter ſe cohærebant, vt communi conſilio illa peragerent, quæ rem eccleſiarum communem reſpiciebant, quod tum per literas & nuncios, tum etiam per Synodos expediebant.

§. VIII. Arctior tamen vnio & communio inter eas eccleſias colebatur, quas vicinitas coniunxerat, quæque in eadem prouincia collectæ erāt, quippe quæ in tot acerbiſſimis perſecutionibus facilius inter ſe de ſalute eccleſiæ communicare, ſibique inuicem

ſuc-

ſuccurrere & asſiſtere poterant. Hæc vnio mox peperit Synodos prouinciales, cum naturale ſit, vt vnius prouinciæ homines, etiam in rebus indifferentibus, facile conſpirent, & coaleſcant.

§. IX. In illa vnione & communione primario ratio habebatur *eccleſiarum apoſtolicarum*, i. e. ab Apoſtolis vel fundatarum vel apoſtolica doctrina inſtructarum, qualis erat Romana, Epheſina, Corinthiaca, Theſſalonicenſis, Antiochena &c. quibus auctoritas ſingularis tribuebatur, maxime ſi cum hæreticis certamen eſſet ineundum. Tertull. *de praeſcript. haeret. c. 20.* Irenæus *lib. III. adv. haereſ. c. 3. 4.* Minime tamen his imperium in reliquas eccleſias tribuebatur, aut aliquæ iurisdictionum ſpecies, ſed, ſola excepta auctoritate, illæſa manſit æqualitas & ſingularum libertas. Euſeb. *lib. V. hiſtor. eccleſ. c. 24.* Eos tantum redarguebant, qui vnitatem eccleſiarum turbare tentarent & pacem rumperent. Irenæus *lib. IV. adv. haereſ. c. 43. in f. & lib. V. c. 20.*

§. X. Ex hac vnione intimiori eccleſiarum vnius prouinciæ paulatim inualuit, vt de cauſis maioribus communi conſenſu eccleſiarum illius prouinciæ deliberationes inſtituerentur, electiones epiſcoporum præſentibus omnibus comprouincialibus adornarentur, cauſæ lapſorum vel aliter de-

 lin-

linquentium non alibi, quam ea in prouincia, vbi delictum commissum esset, diiudicarentur, & quæ decisa vel conclusa communi consilio essent, aliis ecclesiis communicarentur. Euseb. *lib. V. H. E. c. 16. & 24.*

§. XI. Quamuis vero hæc omnia ab initio libero consensu recepta essent, in necessitatem tamen & consuetudinem perpetuam iam abierant seculo III. vt quæ ad ecclesias in vna prouincia collectas pertinerent, ab iis vnice peragerentur, & passim hunc in finem ad *prouincias ecclesiasticas* prouocaretur. Cyprianus latius patere prouinciam ecclesiarum Africanarum ait *epist. 68. p. m. 91.* quod *habeat Numidiam & Mauritanias duas cohærentes.* Dirigendas esse literas in prouinciam vrget, si ibi delictum erat commissum. Id. *epist. 68.* &c. conf. id. *epist. 55. & 59.*

§. XII. Proinde eadem vt plurimum fuit ratio prouinciarum ecclesiasticarum, quæ ciuilium, maxime cum seculo IV. in *Concil. Nic. c. 5. prouinciarum ecclesiasticarum regimen* confirmaretur, qua praxi etiam ecclesia Romana vsa est. Vid. Innocent. I. *epist. ad Victricium c. 3.* Atque hæc ratio quoque est, quod antiquitates ecclesiasticæ sine notitia dispositionis ciuilis commode intelligi non possint, sed hic quoque *Notitia Imperii*

perii sedulis indagatoribus multum proficit.

§. XIII. Dixi *vt plurimum*. Quandoque enim ecclesiasticas prouincias a dispositione ciuili recessisse apparet, ita vt plures prouinciæ ciuiles vnam constituerent ecclesiasticam. Sic in Africa duæ prouinciæ ciuiles erant Numidia & Mauritania, quæ vnam constituerunt prouinciam ecclesiasticam, vti Cyprianus *epist. 68.* testatur. Porro tres diuersæ erant prouinciæ Ægyptus, Lybia, Pentapolis, quæ vnam constituebant prouinciam sub directione Alexandrini, ea forsan occasione, quod hæ tres prouinciæ Præfecto Augustali, qui Alexandriæ sedem habebat, subessent *l. 2. C. de offic. Praefect. Aug.* Inde ad Synodum ab Alexandrino harum prouinciarum Episcopi cogebantur. Socrates *lib. I. c. 6.* Et Synodus Nicæna literas ad harum prouinciarum Episcopos direxit. Id. *lib. I. c. 9.* In Italia gemina fuit Diœcesis, vna Romæ, Italiæ altera. *Vicario vrbis* Romæ suberant decem *prouinciæ*, quæ *suburbicariæ* dicebantur, quæ hac occasione in vnam coaluerunt prouinciam sub directione Episcopi Romani. *Vicarius* Italiæ Diœcesin Italiæ administrabat, & hæc quoque sub nomine *prouinciæ ecclesiasticæ* Mediolanensi metropolitano parebat. Atque hi duo metropolitani tantum in Italia erant,

vti non diffitetur Cantelius in *histor. metropol. vrb. P. 2. diff. VI. c. 4.* quod indicium præbet, duas tantum prouincias ecclesiasticas ibidem & Episcopum Romanum nudum Metropolitam fuisse.

§. XIV. Sed paulo post prouinciæ hæ, quæ ex pluribus constabant, coaluerunt in Dioeceses ecclesiasticas, & inde metropolitanorum horum potestas mirum in modum creuit. Cautum nimirum in conciliis *arte horum Episcoporum* fuit, vt in singulis prouinciis *ciuilibus* metropolitani constituerentur, quo ipso factum, vt in iis prouinciis, quibus antea vnus præerat, plures metropolitani constituerentur, interim tamen Dioeceseos iure vnitæ manerent, & sic hi metropolitani nouiter constituti illi subessent, qui antea directorium per totam diœcesin habebat solus, qui deinceps Patriarcha dictus est vid. *concil. Constantinop. I. c. 2.* Socrates *lib. V. H. E. c. 8.* conf. l. 3. *C. Theod. de fide cathol.*

§. XV. Vnde & dioeceses ecclesiasticæ ortæ, quæ etiam ex dispositione ciuili distinguebantur. Erant quinq; Dioeceses per Præfecturam Prætorianam Orientis, scilicet Ægypti, Orientis, Asiæ, Ponticæ, Thraciarum. Juxta hanc dispositionem ciuilem in *concil. CPol. I. c. 2.* quinque dioeceses ecclesiasticæ enumerantur, his verbis: *qui sunt super dioeceses*

Epi-

Episcopi, ad ecclesias extra suos terminos sitas, ne accedant; neque confundant ecclesias. Sed secundum canones Alexandriæ quidem Episcopus, quæ sunt in Ægypto, tantum administret: Orientis autem Episcopi Orientem solum gubernent (seruatis priuilegiis, quæ Antiochenæ ecclesiæ Nicænis Canonibus tributa sunt.) Et Asianæ Dioeceseos Episcopi, Asianam Dioecesin tantum gubernent; nec non & Pontica diœceseos ea tantum quæ ad Ponticam diœcesin pertinent, & Thraciæ ea tantum, quæ Thraciæ, administrent. Conf. Petrus de Marca *de Primatibus* §. 10. Jacobus Gothofredus *ad cit. l.* 3.

§. XVI. Licet vero Occidentis imperium quoque in varias Dioeceses esset diuisum, h. e. *vrbicariam, Italicam, Gallicanam, Hispanicam, Britannicam, Africanam & Illyricicianam*; tot tamen Dioeceses ecclesiasticæ, quæ sub vnius Patriarchæ directione essent, vti in Oriente, haud sunt constitutæ, sed singulæ illarum Dioecesium prouinciæ metropolitanis suberant, nisi quod Romanus in vrbicariis prouinciis exarchatum exerceret, & quia in reliquis Dioecesibus exarchi deessent, omni conatu ad primatum vniuersalem adspiraret, sed serius obtineret.

Cap. III.

DE ORIGINE PAROCHIARVM.

§. I.

PAROCHIAE sunt *agrorum vrbiumque ecclesiae minores, certo districtu distinctae, Presbyteris Diaconisque subiectae.* Olim etiam Paroecia Dioecesin vel prouinciam denotabat Euseb. *lib. II. c.* 24. *lib. III. c.* 4. *lib. IV. c.* 23. *lib. V. c.* 24. *lib. VII. c.* 3. Socrates *lib. I. c.* 6. Quin & particularem ecclesiam denotabat, cui Episcopus praeerat.

§. II. Ab initio quidem ecclesiae particulares omnes erant vnius eiusdemque generis, & ambitu loci ipsius continebantur, adeoque districtum suum ex ciuitatis vel vici ambitu accipiebant, imo ex ipso loco quoque nomen sortiebantur, vt ecclesia Romana Carthaginensis &c.

§. III. Singulis ecclesiis per tria priora secula praeerant Episcopus, Presbyteri, & Diaconi, & ita Episcopi dioecesis (vt hodierno more loquar) hodiernae Parochiae limitibus includebatur, vti plenius probatur in tr. *de regim. eccles. trium primor. secul.* a Ienckino Thomasio in latinum sermonem verso *cap. II. seqq.* Imo adhuc seculo IV. in singu-

gulis vrbibus episcopi erant, quamuis iam plura in vrbibus templa essent exstructa. Socrates *lib. I. c. 6.* Neque ratio locorum habebatur, cum etiam in agris passim ecclesiæ essent, prout Euseb. *lib. II. H. E. c. 3.* inter alia testatur his verbis: *per omnes igitur ciuitates & vicos ecclesiæ infinita hominum multitudine abundantes veluti areæ quædam frugibus refertæ breui congregatæ sunt.* Atque his quoque ruralibus ecclesiis sui erant Episcopi & presbyteri, vti ostendi *diss. V. iur. eccl. ant. ad Plinium II.* nec dispar *ciuitatensium* & *ruralium* ecclesiarum erat ratio. Conf. Euseb. *lib. VII. c. 30.* vbi fit mentio *Episcoporum pagorum & ciuitatum.*

§. IV. Neque ergo in vna ciuitate plures cœtus distincti instituebantur, sed omnes in vnum conueniebant locum, Iustino Martyre *Apol. II. in f.* teste, & hoc intuitu singulæ ecclesiæ, quæ ambitu loci circumscribebantur, dictæ sunt *Parœciæ*, cum παροικία denotet inhabitationem vicinorum in eodem loco. Inde quoque Cyprianus multoties infert, ibi demum esse ecclesiam, vbi est Episcopus: hoc deficiente, ecclesiam quoque haud adesse concludens, quod potissimum hæreticis & schismaticis opponebat.

§. V. Et hoc intuitu negotia ecclesiastica a plebe & clero decidebantur in qua-

libet

libet ciuitate, prout Cyprianus passim testatur, quod indicium præbet, adhuc seculo III. in singulis ciuitatibus tantum vnam fuisse ecclesiam.

§. VI. Imo postquam indulgentia Constantini seculo IV. templa vbique ædificata sunt, ab initio tamen vnum tantum templum in singulis ciuitatibus ædificatum est Euseb. *lib. X. H. E. c. 3. 4.* Verum hoc eodem seculo mox origo Parochiarum, prout hodie sunt, hinc inde emergere cepit.

§. VII. Libertas enim promiscue ædificandi templa, a Constantino M. indulta, adeo omnium occupauit mentes, vt in vna ciuitate sæpe plura templa exstruerentur. Socrates *lib. I. H. E. c. 9. & 16.* Cum vero a primis Christianismi temporibus vnus tantum Episcopus in singulis ciuitatibus esset, templa post exstructa ab Episcopo demandata sunt quibusdam Presbyteris & Diaconis sub directione Episcopi. Atque hæ ipsæ ecclesiæ minores *tituli* vocabantur, vti constat ex Innocent. *I. epist. I. c. V.* vbi ita: *De fermento vero, quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, iccirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt,*

unt, vt se a nostra communione maxime illa die non iudicent separatos. Addit tamen ibidem: *quod per Parochias fieri debere non puto, cum non longe portanda sint sacramenta.* Totus contextus ostendit *Parochias agrorum* intelligi, quæ eo tempore *κατ' ἐξοχὴν Parochiæ* dicebantur. Postquam enim canonibus conciliorum fuit prohibitum, Episcopos in agris, more antiquo, constituere, ecclesiæ rurales in Parochias mutatæ sunt, quibus tantum præessent presbyteri, imo sicubi adhuc Chorepiscopi essent, illorum tamen conditio adeo deterior facta erat, vt vix a Presbyteris distinguerentur, sed quoque Episcopo ciuitatensi subessent. Atque inde orta distinctio inter Parochos *ciuitatenses & rurales.* Vid. concil. Agath. *c.* 22.

§. IIX. Inde differentia mox nata inter ecclesiam *principalem,* cui præerat Episcopus cum reliquo clero, quæ & *cathedralis* dicta, & *Parochialem,* quæ & *titulus* dicebatur, cui quosdam ex Presbyterio suo Episcopus præficiebat, ex quo simul dependentia parochialium a Principali apparet.

§. IX. Maxime vero in ciuitatibus amplioribus hæ sunt erectæ, ut Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Epiphan. *hæres.* 69. *n.* 1. & 68. *n.* 4. & ut Presbyteri eo rectius curam suam exercere possent, certa pars populi iis concredita & adsignata est, quam pascerent,

rent, ex quo *limites parochiales* orti sunt, cum *Jure bannario*.

§. X. Et cum antea Presbyteri nec baptizare nec Eucharistiam dare, nec alia sacra peragere possent, nisi absente vel iubente Episcopo, introductis parochiis hæc munia eis in parochiis facta sunt ordinaria, ita tamen, vt quia ab Episcopo ecclesiis parochialibus præponerentur, 1) eius visitationi subiecti, & 2) regulariter ab eo constituendi essent, quia Episcopi potestatem habebant eligendi eos, qui in clerum allegi meruerant, Socrates *lib. I. H. E. c. 9.* Denique 3) nulla ecclesia parochialis exstrui posset sine ejus autoritate. Inde Ius Episcopi in Ecclesias parochiales.

§. XI. Inde quoque ortum traxit, ut Episcopus cum Parochis Synodos ageret; ante enim quæuis negotia ecclesiæ Episcopus expediebat cum Presbyterio, quod ipsi adhuc coniunctum erat: sed postquam ab eo quoad locum separati singulis ecclesiis præficerentur, colligi in Synodos cœperunt v. *Epiph. cit. l.*

§. XII. Quia vero ineunte Seculo IV. Episcoporum in agris constitutorum conditio in deteriorem statum proiecta erat, adeo ut Episcopis ciuitatensibus in totum subiicerentur, & simul vetaretur, ne inposterum in pagis Episcopi crearentur, ceperunt

runt ab hoc tempore parochiæ rurales extrui. Nam similiter his temporibus in agris nova templa erigebantur, quæ Presbyteris committebantur vid. Athan. *in apol. II.*

§. XIII. Ceterum plures fabulæ hic adferri solent, dum quidam volunt Euaristum sub Traiano fecisse ecclesiarum diuisionem; alii Anacleto hoc adscribere non dubitant, quidam Dionysio, quæ omnia in *I. Paroch. l. 2. c. 2. §. 52.* satis reiecta sunt.

§. XIV. Parochiis ita constitutis, varia orta sunt iura parochialia, tum circa limites, tum circa onera & commoda parochialia; sed & Episcopi ex reditibus & commodis parochialibus partem sibi vindicarunt, quod illi essent supremi pastores in quauis Ecclesia, & Presbyteri siue parochi ab iis dependerent, quæ omnia in *iure Parochiali* sigillatim exposita sunt.

CAP. IV.

DE ORIGINE SYNODORVM.

§. I.

CONCILIA sunt *cœtus cleri autoritate publica ex variis locis collecti, ut de iis quæ circa fidem*

& disciplinam ecclesiasticam oborta sunt controuersia, iudicent & decernant.

§. II. Horum originem communiter deducere solent ex *Act. XV.* in quo loco primum concilium, Hierosolymitanum scilicet, fundatum esse volunt, & ita ab instituto Apostolico originem repetendam esse contendunt, ex qua hypothesi Augustin. *ep.* 19. conuentum hunc vocat *concilium Hierosolymitanum.*

§. III. Quodsi tamen circumstantias penitius intuemur, concilium hic nullum, sed ordinarius fidelium coetus, seu eorum coitio, omnibus vniuersitatibus communis, deprehenditur. Compromiserant hi, qui in Antiochena ecclesia contenderant, de obseruantia legis Mosaicæ in sententiam ecclesiæ Hierosolymitanæ, & ita ex *compromisso* in illa ecclesia de hac quæstione agebatur, & decisum quoque aliis ecclesiis communicabatur, non per modum *imperii* sed *doctrinæ.*

§. IV. Post hæc tempora non raro Episcopi conuocarunt plebem suam, & cum illa de negotiis quibusdam deliberationes instituerunt, quas coitiones tamen *concilia* dicere non possumus, sicuti *concilium* dici nequit illa coitio, quam Apostoli *Act. I.* & *VI.* coegerunt, quamuis plures huc colliment vid. Hildebrand. *histor. Concil. ad sec. I.*

Ita

Ita vero omnes coitiones ecclesiarum singularum, quæ sæpissime fiebant, dicenda forent concilia, quæ tamen ex vniuersa plebe constabant, & cum conciliis seculi II. nullam conuenientiam habent.

§. V. Aliunde ergo origo synodorum petenda est. Erat singulis ecclesiis sua disciplina, *mutua confœderatione* constituta, uti Tertull. *Apol. c. 2.* loquitur, per quam facinorosos a se expellebant, & scandala præcauebant; sed id aliter fieri non potuit, quam præuia causæ cognitione, & figura quadam judicii, ex quo paulatim introductum, ut singulæ ecclesiæ *figuram* quandam *judicii* exercerent, illique Episcopi præsiderent.

§. VI. Fiebant hæc *iudicia ecclesiastica* conventionalia in ipsa ecclesia, præsente simulque cognoscente plebe, quod ex natura ipsius societatis ecclesiasticæ dependebat, quæ *collegii* rationem habebat, & ita quod totam ecclesiam respiciebat, ab omnibus approbari debebat, quod ipsum latius probaui *Diss. III. ad Plin. II.*

§. VII. Sicuti ergo a singulis ecclesiis ius hoc mutua ex *confœderatione* exercebatur, ita si grauitas causæ id postulabat, ecclesiæ vicinæ & maxime in eadem prouincia collectæ idem ius quandoque *coniunctim* exercebant, congregatis in hunc finem ex vicinis

ecclesiis Episcopis aliisque ex clero&plebe, ad id ab ecclesiis singulis deputatis. Quod enim *singulis* ecclesiis permissum erat, id quoque *coniunctim* exercere non poterat, non iis integrum esse.

§. IIX. Atque inde seculo II. natæ sunt *Synodi prouinciales*, quæ nihil aliud erant, quam *iudicia ecclesiastica, a pluribus ecclesiis coniunctim exercita*, & per delegatos a singulis ecclesiis explicata. Alia concilia adhuc incognita erant, quia ecclesiæ in una prouincia collectæ arctiori vinculo conglutinatæ erant, & facilius conuenire poterant.

§. IX. Sicuti vero in iudiciis singularum ecclesiarum Episcopi præsidebant, votumque primarium habebant, ita quoque hi potissimum Synodis intererant, de rebus controuersis votum dabant, nomine suæ ecclesiæ, & vt strictim dicam, quæ alias a *singulis* ecclesiis decerni poterant, illa etiam a *Synodis* decernebantur, & in illa prouincia effectum suum habebant, ex *communi* illarum ecclesiarum *placito*.

§. X. Erant præterea omnes ecclesiæ inter se vnitæ, & ita ratio vnionis ecclesiasticæ postulabat, vt decreta conciliorum aliis ecclesiis communicarentur, vt, quæ essent decreta, intelligerent, nec in eorum præiudicium quædam agerent, veluti, ne exclusum admitterent. Cyprian. *ep.* 59.

Hoc

Hoc rurſus poſtulabant leges vnionis eccleſiaſticæ, vt *decreta* vnius concilii prouincialis ab aliis eccleſiis haud turbarentur, maxime, quæ eiectionem reproborum reſpicerent.

§. XI. Sed ita factum eſt, ut quæ alias in ſingulis eccleſiis, præſente & iudicante plebe, peragebantur & decidebantur, ſeculo III. vtplurimum ad ſynodos prouinciales tracta ſint, quo ipſo Epiſcopi omnem fere iudicandi facultatem ad ſe traxerunt, quia tandem ab illis Synodis excluſi ſunt deputati ex plebe, vel ſaltem vix vmbra libertatis iis relicta eſt.

§. XII. Acceſſit maior his ſynodis auctoritas, poſtquam ſeculo IV. metropolitani in prouinciis confirmati & conſtituti, eisque celebrandorum conciliorum Ius datum eſt. Inde poſtmodum ab his conciliis prouincialibus, quæ *iudicia prouincialia* erant, varii canones conditi, & ſcriptura mandati ſunt, quod tribus prioribus ſeculis factum non erat.

§. XIII. Nam *c. 5. Concil. Nic.* conſtitutum, vt ſingulis annis bis per vnamquamque prouinciam ſynodi haberentur, eæque quæſtiones dubias examinarent & deciderent. Idem confirmatum *c. 20. concil. Antioch.* vbi ſimul diſpoſitum eſt, *pro dirimendis controuerſiis* concilia hæc habenda eſſe,

quo iudicia ecclesiastica hæc magis confirmata & in controuersiis emergentibus adhibita sunt.

§. XIV. Iudicatorum in his conciliis summa erat autoritas, vt ab illis non daretur appellatio. In *Sardicensi Synodo* primum Episcopus Rom. prouocationem ad se fieri certo modo constitui curauit *c.* 3. quod decretum tamen non vbique admissum est. Quandoque etiam a concilio appellatum est ad Cæsares, qui tamen rursus vt plurimum de nouo concilium conuocarunt, & ita facultatem iudicandi clero confirmarunt.

§. XV. Hac ratione per Synodos iudicia ecclesiastica exercendi semel introducta, & per Secul. II. & III. continuata, facilis aditus factus fuit, Seculo IV. ad *concilium generale* proueniendi, ibique *iudicium generale omnium Ecclesiarum* peragendi, postquam Imperatores Christo nomen dederant. Huius auctoritas, ipso suffragante Constantino, mirifice stabilita est, postquam edixit, *illud quod placuit Episcopis, nihil aliud existimandum esse, quam Dei sententiam, præsertim cum in tantorum virorum mentibus insidens Spiritus S. diuinam voluntatem aperuerit.* Socrates *lib. I. c.* 9. Idem in alia epistola apud Socratem *cit. l.* eandem sententiam repetiit, scribens: *quicquid in sanctis Episcoporum conciliis geritur, id*

omne

omne ad diuinam referendum est voluntatem. Sed euentus sæpe contrarium docuit.

§. XVI. Imo hæc *Synodalia iudicia* eo maiorem obtinuerunt autoritatem, postquam etiam per leges ciuiles confirmarentur, & pro iudiciis sanctis haberentur, vti vocantur in *l. 6. C. de SS. eccl.* Sic enim in *L. 23. C. Theod. de Episc.* pro auctoritate Synodorum hoc statutum est : *Qui mos est causarum ciuilium, iidem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt, vt si qua sunt ex quibusdam dissensionibus leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis & a sua diœceseos synodis audiantur.* Sed si Cæsares iurisdictionem suam illibatam conseruare voluissent, hæc iudicia ecclesiastica vel intra limites coercere, vel plane abrogare debuissent, cum clero, qua tali, iurisdictio nulla competat. Quia vero hic mos per duo secula iam confirmatus erat, facile animaduertebant Cæsares, hæc iudicia ecclesiastica vno impetu aboleri non posse. Inde directionem tantum eorum sibi referuarunt, donec etiam Papa hanc ad se traxerit.

CAP. V.

De
ORIGINE PRESBYTERORVM ET DIACONORVM.

§. I.

PRESBYTERI sunt *ministri ecclesiae, ad id constituti, vt ecclesiastica negotia dirigant, & toti ecclesiae praesint, quo omnia ordine & decenter fiant.*

§. II. Tales quoque fuisse in Iudaeorum terra docet Selden. *de Synedr.* & Vitringa *de Synag. vet.* qui creabantur per manus impositionem, simulque *Synedrio* intererant, & de *caussis maioribus* iudicabant, secuti etiam in *Synagogis* magna eorum autoritas fuit.

§. III. Neque tamen *sacerdotes* & *Leuitae* erant, sed ab his distinguebantur, *seniores plebis* vocati, quia diuersum ab his officium habebant v. *Luc. XXII. 66. Act. V. 21. IV. 8.* Breviter: erant *de plebe homines ac Laici*, vt ait Burmannus *disp. VI. de Synag.* §. 6. sed *eminentiores & sapientiores in plebe.*

§. IV. Quemadmodum vero pleraque instituta a synagogis Iudaicis in ecclesiam translata sunt, vti Vitringa *de Synag. vet.* & Sel-

Seldenus *de Synedr.* ostendunt, & ipsa origo ecclesiarum christianarum docet, ita quoque quin Presbyterorum officium ex Iudaicis institutis profluxerit, dubitari nequit. Inde Lucas, cum *Act. XI, 30.* eorum prima vice *disertis verbis* meminit, non adeo officium eorum designat, quod nemini non nomen illud, & ipsum officium, notissimum esset.

§. V. Occasio constituendi presbyteros narratur *Act. VI.*, vbi quidem communiter *Diaconorum* electionem referri censent, sed absque omni fundamento, quia omnis antiquitas ecclesiastica plane negat, Diaconos tali ministerio quod Act. *XVII.* refertur, praefuisse, quamuis iussu Episcoporum, & non aliter, postea quoque distribuendis in pauperes pecuniis quandoque vacarent.

§. VI. Presbyteros vero ab Ecclesia Hierosolymitana *loc. cit.* electos fuisse, constat (I) *ex qualitatibus ab Apostolis recensitis*, quas Iudaei potissimum in presbyteris suis requisiuerunt. *Num. XI, 16. 17.* Cum enim Presbyteri eminentiores in plebe, & sapientiores esse debebant, singulares quoque qualitates in iis requirebantur. Constituebat ecclesia adhuc eo tempore, cum eligebantur Presbyteri, vniuersitatem quandam *ciuilem*, quia a Iudaicis sacris haud recesserat, in-

terim insigni multitudine constabat, cui omnino Presbyteri præficiendi erant, vti in omni alia vniuersitate moris esse solet.

§. VII. Deinde (II) etiam eodem modo ab Apostolis per *manus impositionem* sunt ordinati, quemadmodum Presbyteri apud Iudæos manuum impositione ordinabantur, vnde satis probabile est, hos septem viros Presbyteros fuisse, quemadmodum etiam post hæc tempora eorum demum fit mentio. *Act. XI, 30.*

§. IIX. Præterea (III) Presbyterorum proprium munus constitisse in *cura pauperum, viduarum & orphanorum*, & in dispensandis in eos pecuniis ab ecclesia collatis, patet ex *Act. XI, 29, 30. XII, 25.* quod & Polycarpus in *ep. ad Philipp.* Iustinus Martyr. *Apol. II. in f.* & Chrysostomus *Homil. in Matth. 86. in fine*, aliique plures attestantur.

§. IX. Denique (IV) inter Iudæos Presbyteris cura pauperum demandata erat, vti docet Vitringa *de Synag. Vet. lib. III. P. I. c. 13.* ad quorum imaginem Presbyteri ecclesiarum Christianarum constituti sunt. Nam sicuti apud Iudæos Presbyterorum munus proprie non erat *sacerdotale* seu mere ecclesiasticum, ita nec ab initio apud fideles Hierosolymitanos, quippe qui sacris Iudai-

cis

eis nondum renunciauerant, mere sacrum munus obtinuisse videntur.

§. X. Post hæc tempora in aliis quoque ecclesiis ab Apostolis Presbyteri sunt constituti *Act. XIV, 23.* maxime tunc, vbi a synagogis iudaicis se separare christiani & separatos formare cœtus coacti sunt, qui idem officium sustinuerunt, quod hi, qui in ecclesia Hierosolymitana ordinati erant.

§. XI. Ante horum constitutionem non deerant doctores in ecclesiis *Act. IIX, 4. XI, 19. 26. XIII. 1.* Ipsi Apostoli munus docendi sibi reseruabant Hierosolymis *Act. VI, 3.* nec Presbyteros ad *docendum* constituebant, quamuis libertas docendi iis interdicta haud esset. Nam constitutis iam Presbyteris facultas docendi adhuc libera erat *1 Cor. XIV, 31. seqq.* adeoque nec in aliis ecclesiis Presbyteri ad docendum primario constituebantur, sed passim a Doctoribus distinguebantur. *1 Cor. XII, 28.*

§. XII. Hoc ipsum eleganter confirmatur testimonio Hilarii *in comment. ad Eph. IV.* & Eusebii *lib. IV. H. E. c. 19.* vnde constat etiam laicos in ecclesiis docuisse, quamuis pro *libertate communi* etiam Presbyteri docere potuerint, quod fusius explicaui *Diss. VI. ad Plin. II. §. 30.*

§. XIII. Paulus quoque *1 Tim. V, 17.* hoc satis declarat & ostendit, munus presbyte-

rorum non primario in *docendo*, sed in eo constitisse, vt bene ecclesiis praeessent, h. e. vt 1) curam pauperum fidelium haberent, pro quorum sustentatione tantopere laborabant Apostoli, 2) dirigerent negotia ecclesiae, 3) in vitam & mores singulorum inspicerent; & hoc *Act. XX, 28.* dicitur: *pascere ecclesiam Dei & intendere toti gregi.*

§. XIV. Inde factum est, vt quidam presbyteri docerent, quidam non docerent, sed praeessent ecclesiae, & officio iam indigitato vacarent. Proinde quoque *Senatus* vel *ordo ecclesiasticus* dici coepit, quod per eum res ecclesiasticae expedirentur.

§. XV. Neque tamen eo ipso sibi arrogarunt *sacerdotalem auctoritatem*, quemadmodum apud Iudaeos quoque sacerdotes a presbyteris distinguebantur. Illi templo & sacrificiis praeerant, hi vero synagogis, & *Primarii* seu *Principes in plebe* dicebantur. Illis suprema potestas in sacra competebat, non his.

§. XVI. Sed post excessum seculi II. Episcopi & Presbyteri *Sacerdotium* quoddam affectarunt, & sibi inde eandem potestatem, quae olim Sacerdotibus Iudaicis data erat, arrogarunt, ex quo tandem *regiam* illam *sacerdotii potestatem* propriam sibi fecerunt, quod infra *Cap. XIII.* plenius excutiendum est.

§. XVII.

§. XVII. Et ab hoc tempore quoque audita est demum distinctio inter *clericos* & *laicos*, cum prædicatum *cleri* proprie sacerdotibus & Leuitis debeatur, vtpote de quibus Deus in V. T. dixerat, se eorum *clerum* seu *hereditatem* fore, & sicuti sacerdotes plebi opponebantur, ita quoque ceteri fideles in ecclesia plebs & laici dicti sunt.

§. XIIX. Interim non diffitetur Tertull. *de exhort. ad castit. c. 7.* discrimen hoc *auctoritate ecclesiæ* seu ex eius *decreto* constitutum esse, quod proinde non iuris *diuini*, sed *humani* est, & satis accurate cum iis quadrat, quæ hactenus de origine presbyterorum dicta sunt, nec inde ministerii sacri necessitas infringitnr, vti *Diss. VI. ad Plinium II. & Tertull. §. 28. seqq.* ostensum est.

CAP. VI.

De
ORIGINE EPISCOPORVM, ARCHI-EPISCOPORVM ET PRIMATVM.

§. I.

ÆVo apostolico tantum duo ecclesiastica munera ordinaria cognita erant, *Presby-*

Presbyterorum, qui & *Episcopi* dicebantur, & *Diaconorum Phil. I.* 1. & ita separatus Episcoporum gradus defuit.

§. II. Et quidem Presbyteros cum Episcopis vnum idemque munus obiisse, nullamque inter eos differentiam fuisse, patet ex *Act. XX.* 17. 28. *Act. XI.* 30. *XII.* 25. *XV.* 2. 4. 6. 22. 23. *Tit. I.* 5. 7. *Phil. I.* 1. sic etiam Petrus hoc ignorat discrimen, qui vnum idemque omnibus Presbyteris mandat officium, 1 *Petr. V.* 1. 2. similiter & Paulus 1 *Tim. III.* 1. 2. *seqq.* tantum *Episcoporum* mentionem facit, quia Presbyterorum primarium munus in *inspectione* consistebat.

§. III. Liquidissime id ipsum quoque docet Clemens *in epist. ad Corinth.* & Hieronymus, pro cuius sententia apologiam conscripsit *Blondellus*, quorsum etiam collimat Walo Messalinus siue Salmasius *de Episcopis & Presbyteris*. Grauiter a via aberrat Theodoretus, qui *in 1 Tim. III.* ita philosophatur: *Eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos; eos autem qui nunc vocantur Episcopi Apostolos nominabant. Procedente autem tempore Apostolatus nomen reliquerunt iis, qui vere erant Apostoli, Episcopatus autem appellationem imposuerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli.* Nullibi sane legitur, Apostolos certæ sedi fuisse affixos, quod Episcopis tamen impositum est, & Theodoretus hæret in erroneo illo princi-

ci-

cipio, quod Episcopi successores Apostolorum fuerint.

§. IV. Interim ex more Iudæorum omnes Presbyteri in quauis ecclesia *Synedrium* seu *consessum* quendam faciebant, vti Tertull. *c. 7. de exhort. ad castit.* notat, quo in consessu ratio ordinis postulabat, vt vnus ex considentibus sedem primam teneret, quæ per se ordinarie aliquam honoris prærogatiuam adferre solet.

§. V. Interim non constat ante Apostolorum excessum aliquam singularem primæ sedis fuisse in ecclesia auctoritatem, quinimo eundem ordinem sedendi Presbyteros ab initio tenuisse, probari nequit. Cum in ecclesia Corinth. contra Presbyteros essent seditiones ortæ, Clemens eo nomine ad eos scripsit, vnice *Presbyterii* totius autoritatem, non vero *primæ sedis* vindicans, quod tamen necesse fuisset, si prima sedes eam habuisset autoritatem, quam postea adepta est.

§. VI. Prorupit tamen iam sub excessum Apostolorum studium *primæ sedis*. Johannes in *epist. III.* hoc docet de Diotrephe, quod *primæ sedis* desiderio flagret, & quia apostoli tale desiderium reprobabant, a communione eorum sese separauerat, & primum schisma fecerat.

§. VII.

§. VII. Apostolis iam extinctis, variis occasionibus *primæ sedi* auctoritas maior conciliata est. Nam quia in consessu ordinis ecclesiastici prima sedes per se honoris prærogatiuam inuoluit, inde etiam eam sedem tenentes maiorem curam pro communi salute ecclesiæ susceperunt, negotia grauiora præ reliquis direxerunt, & inde autoritas huius sedis mirifice creuit.

§. IIX. Deinde proruperunt etiam eo tempore hæreses variæ, ad quas refutandas prouocarunt ad doctrinas ecclesiarum apostolicarum, quas illæ per *successiones Presbyterorum* ab Apostolis illibatas conseruassent. Inde necessum fuit, successiones ab Apostolis adornare, quas non rectius se formare posse credebant, quam si primæ sedis Presbyteros tantum ab Apostolis referrent, vti Irenæus *lib. III. adv. hæres. c. 3.* & post eum alii fecerunt. Ab hoc tempore primæ sedis Presbyteris insignis eo ipso adscripta est auctoritas, vtpote qui tantum in *censu ecclesiastico* numerabantur.

§. IX. Sicuti vero hi primæ sedis Presbyteri post excessum Apostolorum communem curam pro omnibus ecclesiis sibi vindicabant, & hoc intuitu forsan *Apostolorum successores* dicti & habiti fuerunt; ita quoque conueniens erat, vt principaliter quoque suæ ecclesiæ inuigilarent, quo ipso factum

est,

eſt, vt ipſi in conſeſſu ordinis eccleſiaſtici omnia dirigerent, & plura negotia primario iis attribuerentur, quæ tamen ab vniuerſo conſeſſu erant expedita. Euſeb. *lib. V. c. 24.*

§. X. Denique acceſſerunt etiam in conſeſſu Presbyterorum ſchiſmata & æmulationes, ad quæ mala ſedanda auctoritate quadam opus fuit. Hanc autem primario ſibi vindicabat primæ ſedis Presbyter, & quidem ſuo iure, poſtquam ex variis cauſis iam hæc ipſi tributa erat. Hieronym. *in epiſt. ad Tit. & ep. 85. ad Euagrium.*

§. XI. Erat ergo, qui primam ſedem tenebat, a reliquis in eodem conſeſſu conſtitutis in eo diſtinctus, quod primus presbyter eſſet, vti Hilarius in *1 Tim. III.* ait, nomen autem tunc demum a reliquis diuerſum accepiſſe videtur, quo *electio primi Presbyteri* inualuit, de qua ante annum 130. non conſtat. Ante enim primam ſedem occupabat, quem ordo in conſeſſu tangebat, vti Hilar. *cit. l.* ait, & ita ab hoc tempore *Epiſcopi* κατ' ἐξοχὴν dicti ſunt, vtut reliqui Presbyteri etiam hoc nomine, ſed parcius, gauderent, & ipſi quoque Epiſcopi *compresbyteri* dicerentur. Euſeb. *lib. VII. H. E. c. 5.*

§. XII. Ceterum omnes Epiſcopi inter ſe adhuc æquales erant, & nemo alteri ſuberat.

erat. Pugnat adhuc pro æqualitate Episcoporum omnimoda Cyprianus *de vnione ecclesiæ* & passim. Eandem defendit Irenæus *lib. V. apud Euseb. c. 24.*

§. XIII. Sed iam seculo II. quibusdam ecclesiis singularis auctoritas tribui cepit, & quidem imprimis *apostolicis*, occasione disputationum contra hæreticos, Irenæus *lib. III. c. 3.* & quamuis inde Episcopi harum ecclesiarum nullam in reliquas potestatem consequerentur, auctoritatem tamen suam pedetentim in tantum auxerunt, vt Episcopi illarum prærogatiuam potestatis præ reliquis sibi vindicarent.

§. XIV. Victor, Episcopus vrbis Romæ, primus imperium quoddam sibi arrogauit circa finem seculi II. Asseruerat iam Irenæus *lib. III. c. 4.* illam esse *principaliorem ecclesiam*, adeoque omnes reliquas ecclesias cum ea conuenire debere. Inde Victor tam audax factus, vt ecclesias Asiæ minoris a sua communione separaret, quod a pristino more celebrandi pascha recedere nollent, quod tamen alii Episcopi reprobarunt Euseb. *lib. V. c. 24.*

§. XV. Accessit quoque prærogatiuæ Episcoporum quorundam splendor & celebritas vrbis; qui enim in quadam Metropoli ecclesiæ præsidebant, fama quoque & celebritate ceteris præstabant, & inde paulatim factum

factum est, vt eius loci Episcopus aliis præferretur, postquam enim ecclesiasticæ prouinciæ secundum schema politicum sunt constitutæ, etiam ecclesiis in metropoli exstructis maior accessit auctoritas.

§. XVI. Inde plerumque in metropoli Synodi prouinciales habebantur sub directione Episcopi illius loci, ille dirigebat ordinationes Episcoporum electorum, & curam totius prouinciæ ecclesiasticæ suscipiebat. Imo & Episcopos suæ prouinciæ deponebat, vti constat de Melitio Ægypti Episcopo, a Petro Alexandriæ Episcopo deposito. Socrates *lib. I. c. 6.*

§. XVII. Hoc intuitu Episcopus Carthaginensis in Africa, in Ægypto Alexandrinus, in Oriente Antiochenus, & in Italia & suburbicariis prouinciis Romanus præeminebant, cum iam seculo III. singulari auctoritate inter omnes eminerent. Euseb. *lib. VI. c. 44.* His etiam iura sua sunt confirmata cap. *VI. Concil. Nicen.* qui inde metropolitani, Archi-Episcopi & Primates, imo tandem Patriarchæ dicti.

§. XIIX. Sed præterea etiam in reliquis prouinciis Metropolitano Episcopo data est potestas *c. IV. Concil. Nicen.* confirmandi omnia quæ in prouincia gesta sunt, a quo tempore in singulis prouinciis Metropolitani maiorem auctoritatem exercuere &

potestatem quandam in ceteros Episcopos acceperunt.

§. XIX. Quia vero Antiocheno, Alexandrino & Romano latior consuetudine ecclesiastica obtigerat prouincia, in qua iura sua Metropolitana exercerent, hi quoque inter ceteros Metropolitanos prærogatiuam acceperunt, non *potestatis* sed *dignitatis*.

§. XX. Et cum prouinciis pluribus præessent, quæ tamen unam ab initio constituerunt prouinciam ecclesiasticam, ex post facto contigit, vt Metropolitani illis subessent. Ita enim in conciliis cautum erat, vt Episcopi metropoleon metropolitani essent, & ita, quia hi plures prouincias sub se haberent, tandem quoque in singulis Metropolitani constituti sunt, qui tribus illis primariis subessent.

§. XXI. Hoc modo hi tres a ceteris Metropolitanis distincti sunt, vtpote cum reliqui tantum *Episcopos* sub se haberent, hi vero *Metropolitanos*, & inde *Exarchi*, *Primates*, & *Patriarchæ* dicti sunt.

§. XXII. Accessit his tribus *Constantinopolitanus* ex celebritate vrbis, quæ *noua Roma* dicebatur, & ita eundem honorem & potestatem sibi Episcopus illius vrbis vindicabat, quam Romanus habebat, suffragantibus etiam Constantinopolitano & Chalcedonensi conciliis, & Imperatorum constitu-

tutionibus v. *l. 6. C. de SS. eccles. l. vn. C. Theod. de Iure Ital.* Specialiora de singulis tradit fusius Petrus de Marca *de primatibus.*

Cap. VII.

De PONTIFICE ROMANO.

§. I.

QVemadmodum singulis ecclesijs præerat Episcopus cum reliquo clero, ita quoque Romana ecclesia suum habuit Episcopum, cuius potestas tamen ab initio non egrediebatur limites illius ecclesiæ. Inde etiam est quod a scriptoribus ecclesiasticis vocetur *vrbis Romæ Episcopus,* non *Pontifex maximus* vel *Papa.* Euseb. *lib. V. c. 24. VII. 7.* Socrates *lib. V. c. 22.*

§. II. Imo cum circa initia seculi III. Episcopus Romanus contra Montanistas decerneret, mœchis pœnitentibus veniam esse dandam, quod negabant Montanistæ, Tertullianus, horum adsecla, in *tr. de pudicit. c. 1.* inuehitur in eum, & ironice vocat *Pontificem Maximum* seu *Episcopum Episcoporum,* quasi talem eo ipso potestatem sibi arrogaret, quæ minime ipsi compete-

ret, in effectu ergo negauit, eum talem esse.

§. III. Quia vero ecclesia Romana tam ex *loci celebritate*, quam ex *apostolica institutione* singularem celebritatem habebat, adeo vt iam seculo II. Irenæus *lib. III. c. 3.* non veritus sit adserere, propter *potentiorem principalitatem*, ad hanc omnem conuenire debere ecclesiam, inde Episcopi Romani auctoritas mirum in modum creuit, & cum reliquæ ecclesiæ illam agnoscerent, hoc ipsum in suos vsus trahere non dubitauit.

§. IV. Victor circa finem seculi II. ex hac auctoritate ius quoddam in alias ecclesias sibi vindicauit, mota controuersia de tempore celebrandi Pascha. Postquam enim in plerisque synodis prouincialibus a Iudæorum moribus, quos Asiæ minoris ecclesiæ conseruauerant, discessum est, *dictatoria* quadam *potestate* illis iniunxit, vt se componerent ad aliarum ecclesiarum mores, id quod cum iure suo recusarent, non dubitauit, communioni earum renunciare.

§. V. Similem audaciam adhibuit Stephanus seculo III. in excommunicando Cypriano Episcopo Carthaginensi, qui tamen eiusdem cum Romano auctoritatis erat, cum *de rebaptizandis hæreticis* quæstio mota esset, de cuius factu Papali grauiter in suis

ſuis epiſtolis conqueritur Cyprianus.

§. VI. Seculo IV. iam Principatus inceſſerat animos Epiſcoporum teſte Euſeb. *lib. 8. c. 1. & 2.* inde non mirandum, quod in Concilio Nicæno de *proëdria* & *maioritate* concertauerint. Atque in hoc Concil. *c. 6.* quoque Romano Epiſcopo ſingularis quædam prærogatiua cum Antiocheno & Alexandrino tributa eſt.

§. VII. Et ſicuti iam antea ſeculo III. illa opinio peruulgata erat, Episcopos Romanos Petri & Pauli ſucceſſores eſſe, ita poſtea Pontifices hoc etiam in vſus ſuos traxerunt, & ſibi applicarunt, indeque pedetentim Principatum quendam ſingularem affectarunt.

§. VIII. Iulius circa medium ſeculi IV. nouum ius ſibi arrogauit. Cum enim Orientales Epiſcopi quosdam depoſuiſſent, grauiter admodum hoc tulit, ideo quod ſe inconſulto hoc eſſet factum, prætendens nullum Episcopum eminentiorem deponi poſſe, ſine ſuo conſenſu, quod ius tamen plane nouum erat.

§. IX. Dixi *nouum ius* eſſe introductum. Equidem Socrates *lib. 2. c. 8.* ait, *canonem eccleſiaſticum* iubere, ne absque ſententia Episcopi Romaui decreta eccleſiis ſanciantur. Verum ipſe tantum explicat Iulii epiſtolam, in qua ipſe prouocat ad con-

 ſue-

ſuetudines eccleſiaſticas, quas Socrates *canonem* vocat, vti docet Stephanus Baluzius *ad Petrum de Marca lib. V. c. 12.* Talis conſuetudo vero ficta erat, vti docui in *obſeruat. ad Marc. cit. l. p. 127.*

§. X. Acceſſerant relationes frequentes, quæ de cauſis dubiis ab aliis eccleſiis ad Episcopum Romanum factæ ſunt. Quia enim callentiſſimus conſuetudinum eccleſiaſticarum cenſebatur, & auctoritate pollebat eximia, potisſimum ab eo conſilia petebantur. Non potuere non hoc ipſum Episcopi Romani in vſus ſuos trahere, & inde ſupremam poteſtatem ſibi attribuere, contendentes omnes eccleſias occidentales a Romana tanquam *matre* eſſe conſtitutas, & *filialium* loco cenſeri, vti philoſophatur Innocentius I. *epiſt. I. c. 1.* Conf. eundem *in Epiſtola ad Nucerianum Epiſc.* Et quia in Diœceſibus occidentalibus, prout *cap. II. §. 16.* dixi, tantum eſſent *Metropolitani* prouinciarum Episcopi, non *primates* Diœceſeon, omnem lapidem mouit, vt primatum per omnes Diœceſes occidentis ſibi aſſereret, quemadmodum in Oriente *exarchi* Diœceſani erant.

§. XI. Hoc fine vt potiretur ante omnia auctoritatem Synodorum prouincialium, quæ hactenus ſummam auctoritatem in ſingulis prouinciis habuerant, conuellendam

dam & euertendam censuit, contra Concilii Nicæni statuta. Id potissimum ausus est in Concilio Sardicensi, occasione Athanasii depositi congregato. P. de Marca *de C. S. & I. p. 998.* quod eo facilius efficere potuit, postquam Orientales, diuortio in ea Synodo ab occidentalibus facto, discessissent. Constitutum ibidem est, vt condemnatus in aliquo concilio prouinciali, posset confugere ad Episcopum Romanum, vt hic iudicaret, an concilium esset renouandum.

§. XII. Licet vero inde nulla *proprie dicta appellatio* ad sedem apostolicam euinci possit, nec Sardicensis Concilii auctoritas mox recepta sit, vti docet Marca *lib. VI. c. 4. seqq.* inde tamen postea ansam arripuerunt Episcopi Romani, appellationes ad se factas recipiendi, & se tanquam *supremos Iudices* in causis ecclesiasticis constituendi.

§. XIII. Quin etiam cum plerumque, quæ in conciliis prouincialibus essent acta, *honoris causa* ad Episcopum Romanum referrentur, inde rursus ansam cepit, hoc suo iure exigendi, uti constat ex *ep. 2.* Innoc. I. *ad Victric. Episc. Rhotomag.* Mornæus *in myster. iniquit. p. 51.*

§. XIV. Promouit hosce conatus Papales promiscuus recursus ad Episcopum Roma-

num, eorum maxime, qui condemnati erant. Non poterant non hi fauentem sibi promittere Iudicem, postquam tali recursu plurimum ad Pontificis potestatem conferebant. Refero huc exemplum Flauiani Episcopi Constantinopolitani, qui postquam depositus esset in Concilio Ephesino II. a Dioscoro, quem recusauerat, dedit legatis Episcopi Romani Leonis *libellum appellationis*, vti docet epistola Valentiniani ad Theodosium apud Marcam *d. C. S. & I. lib. VII. c. 7. p.* 1022. Leo, vt appellandi ius tueretur, prouocauit ad canones concilii Sardicensis, eosque *Nicænos* falso vocauit credulosque decepit. Tali tamen appellatione nihil aliud adhuc intendebatur, quam vt in concilio nouo res retractaretur, prouidente & rem dirigente Episcopo Romano, cuius ambitio eo tempore adhuc intra hos limites subsistere debuit. Conf. Dupin *in tr. de disciplina eccles. p.* 223.

§. XV. Similis appellationis exemplum est est in causa Theodreti Episcopi Cyri, damnati in Concilio I. Ephesino. Cum vero in Concilio II. Ephesino rursus sine causæ cognitione eiiceretur, appellauit Papam Leonem, qui sine vlla hæsitatione eum in suam communionem recepit, imo in sedem suam restituit, quamuis hæc causa de nouo iudicari debuit in Concilio Chalcedonensi,

non

non in curia Romana. Dupin *cit. l. p. 225. seqqv.*

§. XVI. Plures præterea alii orientales, Episcopi appellarunt Episcopum Romanum, quorum exempla postea alii sunt secuti, sed non semper sine contradictione, quod indicium præbet, Episcopum Romanum se supremum Iudicem constituisse, cæterorum Episcoporum, non iure quodam Ecclesiastico, sed magis vi, clam vel precario.

§. XVII. Apparuit hoc maxime circa annum 418. Damnati quidam erant Episcopi in Conciliis Africanis, qui appellauerant Episcopum Romanum. Africani appellationem hanc canonibus esse aduersam, aiebant. Misit ergo Zosimus Faustinum, legatum ad Concilia Africana, pro legitimanda appellatione. Prouocarunt hi ad *Canones Nicænos*, & pro his substituerunt *Sardicenses*. De hoc cum Africani dubitarent, ad Episcopos Alexandrinum & Constantinopolitanum pro authenticis exemplaribus inspiciendis mittendos esse legatos decreverunt. His redeuntibus, apparuit Sardicenses pro Nicænis substitutos fuisse. Inde Africani appellationes constanter post aliquot tempora adhuc respuebant, Episcopo Romano in contrarium hoc ius strenue vindicante & asserente.

X 5 §. XIIX.

Presbyterorum, qui & *Episcopi* dicebantur, & *Diaconorum Phil. I.* 1. & ita separatus Episcoporum gradus defuit.

§. II. Et quidem Presbyteros cum Episcopis vnum idemque munus obiisse, nullamque inter eos differentiam fuisse, patet ex *Act. XX. 17. 28. Act. XI. 30. XII. 25. XV. 2. 4. 6. 22. 23. Tit. I. 5. 7. Phil. I. 1.* sic etiam Petrus hoc ignorat discrimen, qui vnum idemque omnibus Presbyteris mandat officium, *1 Petr. V. 1. 2.* similiter & Paulus *1 Tim. III. 1. 2. seqq.* tantum *Episcoporum* mentionem facit, quia Presbyterorum primarium munus in *inspectione* consistebat.

§. III. Liquidissime id ipsum quoque docet Clemens *in epist. ad Corinth.* & Hieronymus, pro cuius sententia apologiam conscripsit *Blondellus*, quorsum etiam collimat Walo Messalinus siue Salmasius *de Episcopis & Presbyteris.* Grauiter a via aberrat Theodoretus, qui *in 1 Tim. III.* ita philosophatur: *Eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos; eos autem qui nunc vocantur Episcopi Apostolos nominabant. Procedente autem tempore Apostolatus nomen reliquerunt iis, qui vere erant Apostoli, Episcopatus autem appellationem imposuerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli.* Nullibi sane legitur, Apostolos certæ sedi fuisse affixos, quod Episcopis tamen impositum est, & Theodoretus hæret in erroneo illo princi-

cipio, quod Episcopi successores Apostolorum fuerint.

§. IV. Interim ex more Iudæorum omnes Presbyteri in quauis ecclesia *Synedrium* seu *consessum* quendam faciebant, vti Tertull. *c.* 7. *de exhort. ad cajtit.* notat, quo in consessu ratio ordinis postulabat, vt vnus ex considentibus sedem primam teneret, quæ per se ordinarie aliquam honoris prærogatiuam adferre solet.

§. V. Interim non constat ante Apostolorum excessum aliquam singularem primæ sedis fuisse in ecclesia auctoritatem, quinimo eundem ordinem sedendi Presbyteros ab initio tenuisse, probari nequit. Cum in ecclesia Corinth. contra Presbyteros essent seditiones ortæ, Clemens eo nomine ad eos scripsit, vnice *Presbyterii* totius autoritatem, non vero *primæ sedis* vindicans, quod tamen necesse fuisset, si prima sedes eam habuisset autoritatem, quam postea adepta est.

§. VI. Prorupit tamen iam sub excessum Apostolorum studium *primæ sedis*. Johannes in *epist. III.* hoc docet de Diotrephe, quod *primæ sedis* desiderio flagret, & quia apostoli tale desiderium reprobabant, a communione eorum sese separauerat, & primum schisma fecerat.

§. VII.

§. VII. Apostolis iam extinctis, variis occasionibus *primæ sedi* auctoritas maior conciliata est. Nam quia in consessu ordinis ecclesiastici prima sedes per se honoris prærogatiuam inuoluit, inde etiam eam sedem tenentes maiorem curam pro communi salute ecclesiæ susceperunt, negotia grauiora præ reliquis direxerunt, & inde autoritas huius sedis mirifice creuit.

§. IIX. Deinde proruperunt etiam eo tempore hæreses variæ, ad quas refutandas prouocarunt ad doctrinas ecclesiarum apostolicarum, quas illæ per *successiones Presbyterorum* ab Apostolis illibatas conseruassent. Inde necessum fuit, successiones ab Apostolis adornare, quas non rectius se formare posse credebant, quam si primæ sedis Presbyteros tantum ab Apostolis referrent, vti Irenæus *lib. III. adv. hæres. c. 3.* & post eum alii fecerunt. Ab hoc tempore primæ sedis Presbyteris insignis eo ipso adscripta est auctoritas, vtpote qui tantum in *censu ecclesiastico* numerabantur.

§. IX. Sicuti vero hi primæ sedis Presbyteri post excessum Apostolorum communem curam pro omnibus ecclesiis sibi vindicabant, & hoc intuitu forsan *Apostolorum successores* dicti & habiti fuerunt; ita quoque conueniens erat, vt principaliter quoque suæ ecclesiæ inuigilarent, quo ipso factum

est,

eſt, vt ipſi in conſeſſu ordinis eccleſiaſtici omnia dirigerent, & plura negotia primario iis attribuerentur, quæ tamen ab vniuerſo conſeſſu erant expedita. Euſeb. *lib. V. c. 24.*

§. X. Denique acceſſerunt etiam in conſeſſu Presbyterorum ſchiſmata & æmulationes, ad quæ mala ſedanda auctoritate quadam opus fuit. Hanc autem primario ſibi vindicabat primæ ſedis Presbyter, & quidem ſuo iure, poſtquam ex variis cauſis iam hæc ipſi tributa erat. Hieronym. *in epiſt. ad Tit. & ep. 85. ad Euagrium.*

§. XI. Erat ergo, qui primam ſedem tenebat, a reliquis in eodem conſeſſu conſtitutis in eo diſtinctus, quod primus presbyter eſſet, vti Hilarius in *1 Tim. III.* ait, nomen autem tunc demum a reliquis diuerſum accepiſſe videtur, quo *electio primi Presbyteri* inualuit, de qua ante annum 130. non conſtat. Ante enim primam ſedem occupabat, quem ordo in conſeſſu tangebat, vti Hilar. *cit. l.* ait, & ita ab hoc tempore *Epiſcopi κατ' ἐξοχὴν* dicti ſunt, vtut reliqui Presbyteri etiam hoc nomine, ſed parcius, gauderent, & ipſi quoque Episcopi *compresbyteri* dicerentur. Euſeb. *lib. VII. H. E. c. 5.*

§. XII. Ceterum omnes Episcopi inter ſe adhuc æquales erant, & nemo alteri ſuberat.

erat. Pugnat adhuc pro æqualitate Episcoporum omnimoda Cyprianus *de vnione ecclesiæ* & passim. Eandem defendit Irenæus *lib. V. apud Euseb. c. 24.*

§. XIII. Sed iam seculo II. quibusdam ecclesiis singularis auctoritas tribui cepit, & quidem imprimis *apostolicis*, occasione disputationum contra hæreticos, Irenæus *lib. III. c. 3.* & quamuis inde Episcopi harum ecclesiarum nullam in reliquas potestatem consequerentur, auctoritatem tamen suam pedetentim in tantum auxerunt, vt Episcopi illarum prærogatiuam potestatis præ reliquis sibi vindicarent.

§. XIV. Victor, Episcopus vrbis Romæ, primus imperium quoddam sibi arrogauit circa finem seculi II. Asseruerat iam Irenæus *lib. III. c. 4.* illam esse *principaliorem ecclesiam*, adeoque omnes reliquas ecclesias cum ea conuenire debere. Inde Victor tam audax factus, vt ecclesias Asiæ minoris a sua communione separaret, quod a pristino more celebrandi pascha recedere nollent, quod tamen alii Episcopi reprobarunt Euseb. *lib. V. c. 24.*

§. XV. Accessit quoque prærogatiuæ Episcoporum quorundam splendor & celebritas vrbis; qui enim in quadam Metropoli ecclesiæ præsidebant, fama quoque & celebritate ceteris præstabant, & inde paulatim factum

factum eſt, vt eius loci Epiſcopus aliis præferretur, poſtquam enim eccleſiaſticæ prouinciæ ſecundum ſchema politicum ſunt conſtitutæ, etiam eccleſiis in metropoli exſtructis maior acceſſit auctoritas.

§. XVI. Inde plerumque in metropoli Synodi prouinciales habebantur ſub directione Epiſcopi illius loci, ille dirigebat ordinationes Epiſcoporum electorum, & curam totius prouinciæ eccleſiaſticæ ſuſcipiebat. Imo & Epiſcopos ſuæ prouinciæ deponebat, vti conſtat de Melitio Ægypti Epiſcopo, a Petro Alexandriæ Epiſcopo depoſito. Socrates *lib. I. c. 6.*

§. XVII. Hoc intuitu Epiſcopus Carthaginenſis in Africa, in Ægypto Alexandrinus, in Oriente Antiochenus, & in Italia & ſuburbicariis prouinciis Romanus præeminebant, cum iam ſeculo III. ſingulari auctoritate inter omnes eminerent. Euſeb. *lib. VI. c. 44.* His etiam iura ſua ſunt confirmata *cap. VI. Concil. Nicen.* qui inde metropolitani, Archi-Epiſcopi & Primates, imo tandem Patriarchæ dicti.

§. XIIX. Sed præterea etiam in reliquis prouinciis Metropolitano Epiſcopo data eſt poteſtas *c. IV. Concil. Nicen.* confirmandi omnia quæ in prouincia geſta ſunt, a quo tempore in ſingulis prouinciis Metropolitani maiorem auctoritatem exercuere &

X poteſta-

potestatem quandam in ceteros Episcopos acceperunt.

§. XIX. Quia vero Antiocheno, Alexandrino & Romano latior consuetudine ecclesiastica obtigerat prouincia, in qua iura sua Metropolitana exercerent, hi quoque inter ceteros Metropolitanos prærogatiuam acceperunt, non *potestatis* sed *dignitatis*.

§. XX. Et cum prouinciis pluribus præessent, quæ tamen unam ab initio constituerunt prouinciam ecclesiasticam, ex post facto contigit, vt Metropolitani illis subessent. Ita enim in conciliis cautum erat, vt Episcopi metropoleon metropolitani essent, & ita, quia hi plures prouincias sub se haberent, tandem quoque in singulis Metropolitani constituti sunt, qui tribus illis primariis subessent.

§. XXI. Hoc modo hi tres a ceteris Metropolitanis distincti sunt, vtpote cum reliqui tantum *Episcopos* sub se haberent, hi vero *Metropolitanos*, & inde *Exarchi*, *Primates*, & *Patriarchæ* dicti sunt.

§. XXII. Accessit his tribus *Constantinopolitanus* ex celebritate vrbis, quæ *noua Roma* dicebatur, & ita eundem honorem & potestatem sibi Episcopus illius vrbis vindicabat, quam Romanus habebat, suffragantibus etiam Constantinopolitano & Chalcedonensi conciliis, & Imperatorum constitu-

tutionibus v. *l. 6. C. de SS. eccles. l. vn. C. Theod. de iure Ital.* Specialiora de singulis tradit fusius Petrus de Marca *de primatibus*.

CAP. VII.

DE PONTIFICE ROMANO.

§. I.

Quemadmodum singulis ecclesiis præerat Episcopus cum reliquo clero, ita quoque Romana ecclesia suum habuit Episcopum, cuius potestas tamen ab initio non egrediebatur limites illius ecclesiæ. Inde etiam est quod a scriptoribus ecclesiasticis vocetur *vrbis Romæ Episcopus*, non *Pontifex maximus* vel *Papa*. Euseb. *lib. V. c. 24. VII. 7.* Socrates *lib. V. c. 22.*

§. II. Imo cum circa initia seculi III. Episcopus Romanus contra Montanistas decerneret, mœchis pœnitentibus veniam esse dandam, quod negabant Montanistæ, Tertullianus, horum adsecla, in *tr. de pudicit. c. 1.* inuehitur in eum, & ironice vocat *Pontificem Maximum* seu *Episcopum Episcoporum*, quasi talem eo ipso potestatem sibi arrogaret, quæ minime ipsi compete-

 ret,

ret, in effectu ergo negauit, eum talem esse.

§. III. Quia vero ecclesia Romana tam ex *loci celebritate*, quam ex *apostolica institutione* singularem celebritatem habebat, adeo vt iam seculo II. Irenæus *lib. III. c. 3.* non veritus sit adserere, propter *potentiorem principalitatem*, ad hanc omnem conuenire debere ecclesiam, inde Episcopi Romani auctoritas mirum in modum creuit, & cum reliquæ ecclesiæ illam agnoscerent, hoc ipsum in suos vsus trahere non dubitauit.

§. IV. Victor circa finem seculi II. ex hac auctoritate ius quoddam in alias ecclesias sibi vindicauit, mota controuersia de tempore celebrandi Pascha. Postquam enim in plerisque synodis prouincialibus a Iudæorum moribus, quos Asiæ minoris ecclesiæ conseruauerant, discessum est, *dictatoria* quadam *potestate* illis iniunxit, vt se componerent ad aliarum ecclesiarum mores, id quod cum iure suo recusarent, non dubitauit, communioni earum renunciare.

§. V. Similem audaciam adhibuit Stephanus seculo III. in excommunicando Cypriano Episcopo Carthaginensi, qui tamen eiusdem cum Romano auctoritatis erat, cum *de rebaptizandis hæreticis* quæstio mota esset, de cuius fastu Papali grauiter in suis

ſuis epiſtolis conqueritur Cyprianus.

§. VI. Seculo IV. iam Principatus inceſſerat animos Episcoporum teſte Euſeb. *lib.* 8. *c.* 1. & 2. inde non mirandum, quod in Concilio Nicæno de *proëdria* & *maioritate* concertauerint. Atque in hoc Concil. *c.* 6. quoque Romano Epiſcopo ſingularis quædam prærogatiua cum Antiocheno & Alexandrino tributa eſt.

§. VII. Et ſicuti iam antea ſeculo III. illa opinio peruulgata erat, Episcopos Romanos Petri & Pauli ſucceſſores eſſe, ita poſtea Pontifices hoc etiam in vſus ſuos traxerunt, & ſibi applicarunt, indeque pedetentim Principatum quendam ſingularem affectarunt.

§. VIII. Iulius circa medium ſeculi IV. nouum ius ſibi arrogauit. Cum enim Orientales Epiſcopi quosdam depoſuiſſent, grauiter admodum hoc tulit, ideo quod ſe inconſulto hoc eſſet factum, prætendens nullum Episcopum eminentiorem deponi poſſe, ſine ſuo conſenſu, quod ius tamen plane nouum erat.

§. IX. Dixi *nouum ius* eſſe introductum. Equidem Socrates *lib.* 2. *c.* 8. ait, *canonem eccleſiaſticum* iubere, ne absque ſententia Episcopi Romani decreta eccleſiis ſanciantur. Verum ipſe tantum explicat Iulii epiſtolam, in qua ipſe prouocat ad conſue-

ſuetudines eccleſiaſticas, quas Socrates *canonem* vocat, vti docet Stephanus Baluzius *ad Petrum de Marca lib. V. c. 12.* Talis conſuetudo vero ficta erat, vti docui in *obſeruat. ad Marc. cit. l. p. 127.*

§. X. Acceſſerant relationes frequentes, quæ de cauſis dubiis ab aliis eccleſiis ad Epiſcopum Romanum factæ ſunt. Quia enim callentiſſimus conſuetudinum eccleſiaſticarum cenſebatur, & auctoritate pollebat eximia, potiſſimum ab eo conſilia petebantur. Non potuere non hoc ipſum Epiſcopi Romani in vſus ſuos trahere, & inde ſupremam poteſtatem ſibi attribuere, contendentes omnes eccleſias occidentales a Romana tanquam *matre* eſſe conſtitutas, & *filialium* loco cenſeri, vti philoſophatur Innocentius I. *epiſt. I. c. 1.* Conf. eundem *in Epiſtola ad Nucerianum Epiſc.* Et quia in Diœceſibus occidentalibus, prout *cap. II. §. 16.* dixi, tantum eſſent *Metropolitani* prouinciarum Epiſcopi, non *primates* Diœceſeon, omnem lapidem mouit, vt primatum per omnes Diœceſes occidentis ſibi aſſereret, quemadmodum in Oriente *exarchi* Diœceſani erant.

§. XI. Hoc fine vt potiretur ante omnia auctoritatem Synodorum prouincialium, quæ hactenus ſummam auctoritatem in ſingulis prouinciis habuerant, conuellen-

dam

dam & euertendam censuit, contra Concilii Nicæni statuta. Id potissimum ausus est in Concilio Sardicensi, occasione Athanasii depositi congregato. P. de Marca *de C. S. & I. p. 998.* quod eo facilius efficere potuit, postquam Orientales, diuortio in ea Synodo ab occidentalibus facto, discessissent. Constitutum ibidem est, vt condemnatus in aliquo concilio prouinciali, posset confugere ad Episcopum Romanum, vt hic iudicaret, an concilium esset renouandum.

§. XII. Licet vero inde nulla *proprie dicta appellatio* ad sedem apostolicam euinci possit, nec Sardicensis Concilii auctoritas mox recepta sit, vti docet Marca *lib. VI. c. 4. seqq.* inde tamen postea ansam arripuerunt Episcopi Romani, appellationes ad se factas recipiendi, & se tanquam *supremos Iudices* in caussis ecclesiasticis constituendi.

§. XIII. Quin etiam cum plerumque, quæ in conciliis prouincialibus essent acta, *honoris caussa* ad Episcopum Romanum referrentur, inde rursus ansam cepit, hoc suo iure exigendi, uti constat ex *ep. 2.* Innoc. I. *ad Victric. Epist. Rhotomag.* Mornæus *in myster. iniquit. p. 51.*

§. XIV. Promouit hosce conatus Papales promiscuus recursus ad Episcopum Roma-

num, eorum maxime, qui condemnati erant. Non poterant non hi fauentem sibi promittere Iudicem, postquam tali recursu plurimum ad Pontificis potestatem conferebant. Refero huc exemplum Flauiani Episcopi Constantinopolitani, qui postquam depositus esset in Concilio Ephesino II. a Dioscoro, quem recusauerat, dedit legatis Episcopi Romani Leonis *libellum appellationis*, vti docet epistola Valentiniani ad Theodosium apud Marcam *d. C. S. & I. lib. VII. c. 7. p. 1022.* Leo, vt appellandi ius tueretur, prouocauit ad canones concilii Sardicensis, eosque *Nicænos* falso vocauit credulosque decepit. Tali tamen appellatione nihil aliud adhuc intendebatur, quam vt in concilio nouo res retractaretur, prouidente & rem dirigente Episcopo Romano, cuius ambitio eo tempore adhuc intra hos limites subsistere debuit. Conf. Dupin *in tr. de disciplina eccles. p. 223.*

§. XV. Similis appellationis exemplum est est in causa Theodreti Episcopi Cyri, damnati in Concilio I. Ephesino. Cum vero in Concilio II. Ephesino rursus sine causæ cognitione eiiceretur, appellauit Papam Leonem, qui sine vlla hæsitatione eum in suam communionem recepit, imo in sedem suam restituit, quamuis hæc causa de nouo iudicari debuit in Concilio Chalcedonensi,

non

non in curia Romana. Dupin *cit. l. p. 225. seqqv.*

§. XVI. Plures præterea alii orientales Episcopi appellarunt Episcopum Romanum, quorum exempla postea alii sunt secuti, sed non semper sine contradictione, quod indicium præbet, Episcopum Romanum se supremum Iudicem constituisse cæterorum Episcoporum, non iure quodam Ecclesiastico, sed magis vi, clam vel precario.

§. XVII. Apparuit hoc maxime circa annum 418. Damnati quidam erant Episcopi in Conciliis Africanis, qui appellauerant Episcopum Romanum. Africani appellationem hanc canonibus esse aduersam aiebant. Misit ergo Zosimus Faustinum legatum ad Concilia Africana, pro legitimanda appellatione. Prouocarunt hi ad *Canones Nicænos*, & pro his substituerunt *Sardicenses*. De hoc cum Africani dubitarent, ad Episcopos Alexandrinum & Constantinopolitanum pro authenticis exemplaribus inspiciendis mittendos esse legatos decreverunt. His redeuntibus, apparuit Sardicenses pro Nicænis substitutos fuisse. Inde Africani appellationes constanter post aliquot tempora adhuc respuebant, Episcopo Romano in contrarium hoc ius strenue vindicante & asserente.

§. XIIX. Vt vero principatum suum eo magis perficeret, eo rem deduxit, vt in conciliis Oecumenicis præsidatus sibi concrederetur. Primus fuit Leo, qui concilio Chalcedonensi anno 451. indicto, præsedit. Reliquis conciliis anterioribus vniuersalibus interfuit quidem per legatos, sed non præfuit. Ab hoc tempore præsidatum hunc serio retinendum esse studuit, simulque insignem prærogatiuam in conciliis affectauit.

§. XIX. Grauiter obstabat Constantinopolitanus Episcopus, qui æqualem cum Romano sibi asserebat potestatem, hinc nihil magis ei curæ fuit, quam vt illius conatus supprimeret. Illi enim contingebat, vt aulæ Imperatoris adesset, & Cæsaris mentem in se deflectere posset. Inde Leo & eius successores *Aprocrisiarios* seu *Responsales* perpetuos Constantinopoli habuerunt, qui causam Episcopi Romani apud Cæsarem agerent, & prouiderent, ne ecclesia Romana aliquid detrimenti caperet, quod Leo eo magis metuebat, postquam animaduerterat, Constantinopolitani sortem cum potestate Romani Episcopi in Concilio Chalcedonensi c. 28. se inuito, æquatam esse.

§. XX. Ipse interim Leo hanc thesin, quod Episcopus Romanus esset vniuersalis & supremus Episcopus, & reliqui omnes ei pror-

prorſus ſubiecti, maximopere defendit, & in ſcriptis ſuis toties repetiit ad nauſeam vsq; vt oſtendi in *obſeruat. ad P. de Marca p. 121.*

§. XXI. Interim inter reliquos epiſcopos, maxime occidentales, exarchi ſeu primates, ſingulari itidem præfulgebant dignitate, & licet Romano cederent, poteſtatem tamen ejus in ſe haud agnoſcebant. Hi ergo domandi & ſub poteſtatem Romanam penitus reducendi erant; ſed arte opus erat, cum iure ſubiectionem ab eis prætendere non poſſet. Animaduerterat, primates ſeu Archiepiſcopos inſignem æmulationem inter ſe fouere, & de proedria contendere. Quibusdam ex his *vicariatum* offerebat, vt iure perpetuo vices ſuas gererent, quo ipſo ſibi maiorem auctoritatem acceſſuram credebant, quod Epiſcopi Romani auctoritas eſſet longe maxima per occidentem. Aſt ita reuera ſubiecti ſunt ſedi Papali tanquam eius *miniſtri*, & quicquid olim iure ſuo agere poterant, hoc poſtea ab ipſis factum eſſe ex vicaria Apoſtolicæ ſedis poteſtate, Pontifices Romani dicebant. Hac ratione Theſſalonicenſem & Arelatenſem aliosque ſibi ſubiecit, & primates aliorum quoque regnorum induxit, vt ſponte hunc vicariatum ambirent, quo magis ſuum primatum ſtabilirent, de quo in Occidente non leues

con-

controuersiæ passim fuerunt. Vid. Petrus de Marca *de Primat.*

§. XXII. Et cum Pontifex videret Archiepiscopos hac esca facile capi posse, pallium postea omnibus Archiepiscopis concessit, quo solus hactenus in Occidente vsus fuerat Episcopus Romanus, adeoque nulli alii concedi poterat, quam vicem eius gerentibus, quo illo vterentur in actibus illustrioribus. Quicquid ergo agebant, hoc induti pallio, non proprio iure, sed potestate vicaria egisse videbantur. M. Anton. de Dominis *lib. 3. c. II. §. 25.* plenius hoc illustraui in *Obseru. ad Petr. de Marca p. 148.*

§. XXIII. Intercesserant interim variæ lites inter Romanum & Constantinopolitanum, hunc superiorem non agnoscentem, nec illum æqualem ferre valentem. Recruduerunt hæ ipsæ imprimis sub Mauritio, cuius sub alis Johannes Constantinopolitanus se tutum videns, *vniuersalem* se dixit *episcopum.* Inde ira Gregorii M. & querelæ ad Cæsarem, qui tamen Gregorium admonuit, ne turbas moueret propter inanes titulos. Sed mansit Gregorio alta mente repostum hoc iudicium, quod maxime apparuit, vbi Mauritius a Phoca esset occisus. Erga hunc enim, licet regicidam, adeo turpi adulatione vsus est, vt omnem fere pietatis spe-

ſpeciem apud poſteros amiſerit. Hac turpiſſima adulatione obtinuit, vt pro ſucceſſore eius Phoca, pronunciaret, & Conſtantinopolitanum poſtponeret. Unde tandem infelix Schisma inter eccleſias Orientales & Occidentales natum eſt, quod Photius Conſtantinopolitanus Epiſcopus promovit.

§. XXIV. Denique Nicolaus I. quoque ingentem acceſſionem fecit ad poteſtatem ſupremam ſedis Romanæ, per nouam illam, ſed ſpuriam, collectionem Iſidori, quæ eius tempore ex Hiſpania allata eſt. Cum enim videret, in hac noua eaque grauiſſima argumenta pro ſedisRomanæ potentatu contineri, & ab intima antiquitate repeti, ſuppoſititias has epiſtolas acriter defendit, & pro ſua poteſtate allegauit, quibus rudes epiſcoporum mentes, pro ſeculi barbarie, facile in ſuas partes trahere potuit, vt noui illius iuris exercitium in ſe admitterent. His aliisque artibus ſubdolis Epiſcopus Romanus principatum in omnes eccleſias adeptus eſt, quanquam, prout fieri ſolet, in re iniuſte occupata, varia fata habuerit.

CAP.

CAPVT IIX.

DE ORIGINE CARDINALIVM.

§. I.

OLim prædicatum *Cardinalium* nullam dignitatem inuoluebat, nec clero Romano proprium, sed commune ministrorum, certis ecclesiis præpositorum, erat. Etenim hi, qui ecclesiis inseruiebant, in duplici differentia erant, alii *vacantes* alii *Cardinales*. Illi dicebantur sedibus suis eiecti, quibus quandoque ad tempus commendari solebat ecclesia vacans, donec restituerentur. Atque hi quia non *perpetui* & *ordinarii* eius ecclesiæ ministri erant, *Cardinales* non dicebantur.

§. II. *Cardinales* e contrario vocabantur qui ecclesiæ ex lege ordinationis ita erant præpositi, vt constanter & perpetuo ei adhærere deberent, ordinarii illarum ministri, iisque *incardinati*, & in perpetuum affixi, quia sicut cardo fixus & immobilis, ac circa ipsum valuæ voluuntur, ita circa ipsos tanquam fixos cardines voluebantur istius curæ fideles in regimine ecclesiastico, vt rem ex-

explicat M. Anton de Dominis *lib. 4. c. 5. §. 5. de republ. eccl.*

§. III. Hoc intuitu erant Episcopi Cardinales, Presbyteri Card. item diaconi Cardinales. Imo & subdiaconis hoc prædicatum quoq; tribuebatur, vti multis exemplis docet de Dominis *cit. l.* §. *6. seqq.* & Lud. Thomassinus *P. I. lib. 2. c. 115. §. 3. seqq.* Inde hoc prædicatum ad omnes ecclesias pertinebat, non ad Romanam tantum. Sicuti enim in cathedralibus ecclesiis Episcopus cum Presbyteris & Diaconis ordinarii ministri erant, ita hi quoque omnes Cardinales dicebantur.

§. IV. Sic in ecclesia Romana Episcopus, Presbyteri & Diaconi erant illius ecclesiæ Cardinales, alii vero Episcopi ibi præter ipsum Papam adhuc deerant. Interim presbyterium Romanum in magna apud omnes erat celebritate, quia ipsa ecclesia tandem super omnes ceteras euecta erat. Iam *seculo 9.* quidam Episcopi Presbyterorum & Diaconorum Romanæ ecclesiæ gradum ambierunt, quod prohibitum est in Synodo Romona sub Stephano IV. Interim minime cum Odorico Raynaldo, Baronii continuatore, credendum est, Cardinalium horum institutum referendum esse ad primitiuæ ecclesiæ tempora, quod recte reprobat Baluzius *ad Lupum p.* 433.

§. V.

§. V. Interim nonnulli Epiſcopi, Romanæ eccleſiæ proximiores, Romæ ſæpe commorabantur, qui quoque more maiorum intereſſe ſolebant conſultationibus cleri Romani. Quamuis ergo eccleſiæ Romanæ Cardinales non eſſent, paulatim tamen cum reliquo clero in vnum coaluerunt corpus, & ſimul ſenatum eccleſiæ Romanæ conſtituerunt.

§. VI. Stephanus IV. qui anno 816. ſedit, primus conſtituiſſe videtur, vt ſeptem propinquiores Epiſcopi, qui ejus ſuffraganei erant, dominicis diebus ad altare B. Petri Miſſas celebrarent, vt ex Anaſtaſio docet Thomaſſinus *cit. l. cap.* 16. §. 2. quo ipſo eccleſiæ Romanæ quodammodo incardinati ſunt, quamuis non ſtatim cardinales dicti ſint. Hoc modo eccleſia Romana ſenatum ampliſſimum habuit VII. Epiſcoporum, plurimorum Presbyterorum & Diaconorum. Ipſe Pontifex in tam excelſo loco erat poſitus, vt ab hoc collegio plane diſtingueretur, quod ſecus erat in aliis eccleſiis.

§. VII. Ceterum adhuc ſeculo X. ſub Ottone I. nulla dignitas ſingularis ex hoc prædicato petebatur. Adhuc in Concilio Romano ſub Ottone I. Epiſcopi omnes, qui ei intererant, proedriam habuerunt præ clero Cardinali Romanæ eccleſiæ, prioresque ſub-

ſubſcripſerunt, ceu acta Concilii docent. Thomaſſin. *de V. & noua eccl. diſcipl. p. 607. §. 6. p. 591. §. 1.*

§. IIX. Quamuis vero initio ſeculi XI. adhuc idem rerum ſtatus fuerit, paulo poſt tamen eodem ſeculo Epiſcopi Cardinales eccleſiæ Romanæ in altum euecti locum ſunt, & ipſis Archi-Epiſcopis proedriam concedere recuſarunt. Imo anno 1059. his Epiſcopis Cardinalibus ſumma directio in electione Papæ data eſt in Concilio Romano, cum antea conſtitutio Paparum dependeret a iure Imperatorum.

§. IX. Præterea variæ legationes illis, qui erant de clero Romano, decretæ ſunt, in quibus Pontificem repræſentabant, & vicariatum gerebant. Inde factum eſt, vt pedetentim etiam Presbyteri & Diaconi Cardinales maiorem acciperent dignitatis gradum & ipſis Epiſcopis anteponerentur, cum paſſim dicerentur *Spiritales eccleſiæ vniuerſales.*

§. X. Poſt hæc tempora ſemper Pontifices eorum poteſtatem augere curarunt. Nam ſeculo *XIII.* purpuram & alia inſignia dignitatis Apoſtolicæ eis conceſſerunt, & quamuis poſtea ſæpe iis controuerſia mota fuerit, ſub alis tamen Patroni ſui & Vice-Dei tuti erant, vt nihil ipſis amplius metuendum eſſet. Sic itaque hodie *CARDINA-*

LES sunt *clerus ordinarius ecclesiæ Romanæ constans ex Episcopis, Presbyteris & Diaconis*. Et postquam Cardinales talem prærogatiuam sibi arrogarunt, reliquis clericis hic titulus denegatus est.

CAP. IX.

DE ORIGINE LEGATORVM SEDIS ROMANAE.

§. I.

QUemadmodum Episcopus Romanus præerat Romanæ ecclesiæ, ita non dubitauit, postmodum accedente potentia, in plerisque instituta ciuilia sequi, & eandem formam regiminis in ecclesiasticis obseruare, quæ in republica Romana ab antiquo obseruata fuerat.

§. II. Apparet hoc ipsum ex materia de *legatis sedis Romanæ*. Apud Romanos erant duplicis generis legati: (1) *Simplices* qui negotia cum exteris gentibus expediebant, sine exercitio alicuius iurisdictionis, *l. f. ff. de Legat.* (2) *cum iurisdictione missi, a republica*, qui Proconsulibus dabantur, vt eos parte curarum leuarent. Iurisdictionem suam non a Proconsulibus accipiebant, sed a repu-

publica. Quia & Cæſares non raro in prouinciis ſibi aſſignatis tales ſolebant ſubmittere legatos *l. 1. de offic. præf.* Marca *lib. V. de Concord. Sacerd. & imp. c. 1.*

§. III. Simili ratione legationes varii generis in eccleſia Romana inualuerunt. Olim quælibet fere eccleſia habuit ſuos apoſtolos *2 Corinth. IIX. 19. 23. Phil. II. 25.* Clemens *ad Corinth. epiſt. in f.* qui legati non Epiſcoporum, ſed eccleſiarum erant, per quos communionem vt vnionem inter ſe conſeruabant, quæ in ſingulis eccleſiis obuenerant, aliis referebant aliisque laborantibus opere ferebant. Hæc exemplo quoque vſu eſt eccleſia Romana tempore Clementis, quæ pro ſedandis turbis legatos inſit ad eccleſiam Corinthiacam, vbi rurſus nequidem Epiſcopi Romani fit mentio.

§. IV. Naque tantum ſingulæ eccleſiæ huiusmodi legatos miſerunt, ſed etiam *Synodi prouinciarum*, quæ illa, quæ geſta erant, in conciliis, aliis per legatos communicabant. Denique etiam nonnunquam aliorum legati Synodis intererant. Si nomine eccleſiis, a qua miſſi erant, in illis quædam eſſent expedienda. Huc pertinet legatio Fauſtini, ad concilium Carthaginenſe miſſi ab Epiſcopo Romano Zoſimo, pro ſappellationibus ad ſedem Romanam ſtabiliendis, item a Iulio ad Orientales in cauſa

thanasii. Postquam enim Episcopi omnia iura ecclesiæ ad se traxerunt, legatos non amplius nomine *ecclesiæ*, sed *suo* miserunt, quod maxime seculo IV. apparuit.

§. V. Nulla adhuc eo tempore singularis legatorum sedis Romanæ erat auctoritas. Iurisdictionem nullam exercebant, nec *sententiam decisiuam* in conciliis dicebant, sed causas sibi commissas in iis simpliciter expediebant, vti series actorum in concilio Africano a Zosimi legatis gestorum indicat. Neque enim iurisdictionem in alias ecclesias eo tempore ipse Romanus Præsul exercere potuit, multo minus ergo eius legatis tale quid audere integrum fuit.

§. VI. Imo quamuis concilia Oecumenica ab Imperatoribus conuocata sint, quibus Episcopus Romanus vt plurimum per legatos interfuit, non maior tamen in iis potestas eorum fuit, quam ceterorum Episcoporum, adeo vt directionem sibi arrogare haud potuerint, nisi ea ab Imperatoribus Romano Episcopo esset concessa. Sic in Concilio Nicæno Antiochus episcopus primam sedem occupauit, & Constantinum allocutus est. Alexandriæ Episcopo idem honos datus est vt rebus decisis præesset. Euseb. *lib. 3. de vita Constantini c. 13.* Legatis vero sedis Romanæ nulla prærogatiua sin-

ſingularis indulta eſt, cum hactenus probari haud potuit, Oſium Cordubenſem Epiſcopum vices Epiſcopi Romani geſſiſſe.

§. VII. De ſequentibus conciliis idem obſeruaui in *obſ. ad Petrum de Marca p. 118. ſeqq.* Nec enim ipſe Romanus intererat Conciliis & ita legatis ejus tanta auctoritas pro more illius temporis non tribuebatur, vti ipſi præſenti forſan habita fuiſſet. In Concilio demum Chalcedonenſi Epiſcopi Leonis Legati ad præfecturam admiſſi ſunt ex Marciani Imperatoris decreto *cum prærogatiua ſuffragii*, non cum *iurisdictione*, quem morem etiam quoad reliqua Concilia ſunt ſecuti. *Prærogatiua* enim *ſuffragii* in conciliis auctoritatem tantum maiorem tribuebat in conſeſſu, in rogandis ſententiis, ſed non iurisdictionem, vt pro imperio aliquid decidere & cenſere poſſent.

§. IIX. Negari tamen nequit, in hoc Concilio Chalcedonenſi legatos Leonis nihil non egiſſe, quo principatum ſui Principalis amplificarent, ad quem firmandum ipſe ſatis pronus & vigilans fuit. Interim ſuam adhuc reliqui Epiſcopi libertatem quodammodo eo ipſo tuiti ſunt, quo contra legatorum & Leonis voluntatem cano. 28. condiderunt, quamuis Leo toti concilio ſtatim contradixerit, ſine dubio auctoritatem

concilii a nutu suo dependere, vano conatu ostensurus.

§. IX. Miserunt praeterea Pontifices legatos pro negotiis ecclesiarum procurandis ad Imperatores, vti in causa Athanasii factum est: Ast nulla eorum apud Imperatores apparet auctoritas insignis, sed humillimis precibus omnia egerunt.

§. X. Nouum genus legatorum Leo introduxit, *responsales* scilicet seu *Apocrisiarios*, qui in perpetuo comitatu essent Caesaris, & pro commodis sui patroni vigilarent. Talem perpetuam legationem apud Caesarem postulabat metus, ne Constantinopolitanus nimium sibi arrogaret. Hi tamen nulla iurisdictione maxime in aliena dioecesi adhuc praediti erant.

§. XI. Sed quia nihil magis Episcopis Romanis curae cordique erat, quam vt iurisdictionem in omnes ecclesias, maxime occidentis, sibi vindicarent, ad hoc apprime vtile esse censuerunt, legationis vices eis committere, & quidem *iure hereditario*, qui maxima in ecclesiis pollebant auctoritate, & tamen inter se aemulationes insignes fouebant, adeoque legationis hoc munus eo lubentius suscipiebant. Hac ratione multarum ecclesiarum Archiepiscopi insignes Pontificis *legati* & *vicarii* imo *ministri* facti, ab eius nutu dependebant, vt per hos facile

po-

poteſtatem omnem in reliquas eccleſias explicare poſſet. Epiſcopi quidem quibus hæc legatio hereditaria committebatur, facile inducebantur, vt hoc munus ambirent, quia ita ſibi aliquid autoritatis acceſſurum credebant, dum hoc modo tanquam *legati Pontificis* maiorem affectabant poteſtatem in ceteras eccleſias. Ita deinceps dicti ſunt *legati nati*.

§. XII. Hanc legationem detulit Pontifex Damaſus Theſſalonicenſi, Zoſimus Arelatenſi, Gregorius M. Auguſtino in Anglia, Simplicius Hiſpalenſi per Hiſpaniam. Gregorius imprimis pluribus tales legationes detulit, vtpote qui nihil magis curauit, quam vt poteſtatem ſuam per omnes eccleſias Occidentales firmaret. Hi *virtute* huius *legationis* concilia nationalia habuerant, quo ipſo ſumma poteſtas in his conciliis reuera ad Pontificem delata eſt.

§. XIII. Cum itaque Epiſcopus Romanus animaduerteret, hos legatos *natos* poteſtatem ampliſſimam hactenus vice ſua exercuiſſe, & ita in morem iam abiiſſet, vt legati eius ampliſſimam poteſtatem in prouinciis exercerent, nunciis quoque a ſe miſſis ſimilem poteſtatem delegare cœpit. Imprimis vero hic memoranda eſt legatio Bonifacii, anno 719. in Germaniam miſſi, cuius

ope imprimis Episcopi per Galliam & Germaniam sedi Papali penitus subiecti, sed simul Metropolitanorum reliquorumque Episcoporum iura conuulsa sunt. Inde porro factum est, vt quia Germani & Galli id ægre ferrent, fere per 90. annos post mortem Bonifacii nullus in Germaniam missus fuerit legatus. Marca *lib. V. c. 44.* §. 6. *p. 686.*

§. XIV. Sed Nicocalius I. acerrimus Maiestatis Pontificiæ assertor nouis, adulterinis Isidori decretis insistens, post annum 860. legatos plurimos hinc inde maxima cum potestate, quam ex quisquiliis Isidori sibi vindicabat, misit, qui ius conciliorum nationalium habendorum penitus sibi vindicerunt. Post hæc tempora Pontifices in his Conciliis omnia per legatos suos disposuerunt, cum hæc omnia antea regii iuris essent. Vid. Marca *D. C. S. & I. lib. V. c. 54.*

§. XV. Sic itaque ab hoc tempore legati Pontificis omnem in ecclesiasticis potestatem exercuerunt in pronincia, quæ eorum legationi decreta erat. Causas singulorum iudicare, leges condere, electionibus se immiscere & beneficia conferre, iuris sui esse credebant, & quidem tanta cum temeritate, vt legatorum in prouinciam aduentus magis terrori esset, quam lætitiæ.

§. XVI.

§. XVI. Scilicet hoc erat arcanum dominationis conseruandæ sacræ, per omnes prouincias legatos cum summa potestate mittere, cum animaduerterent per hoc medium prouincias in subiectione & fide erga sedem Romanam conseruari posse. Vnde etiam Marca *de C. S. & I. lib. V. c. 47. §. 1.* docet eam fuisse primam curam legatorum, vt *imbuerent populos reuerentia Pontificum Romanorum*, quamuis Pontifex haud raro simulauerit, legatos vnice missos fuisse, *pietatis fideique tuendæ gratia*, vti contendit Cantelius *histor. metropol. vrbium P. 1. Diss. 4. c. 4. n. 2.* Ceterum qua rapacitate ab hoc tempore vsi fuerint in *procurationibus* exigendis, & exspoliandis regnis & prouinciis, plenissime refert Stephanus Baluzius *in Supplementis ad Petrum de Marca cit. l. & seqq. capitibus.* Inde quidam a Pontifice obtinuerunt, vti Rogerius Siciliæ Rex, ne ullus in Siciliam legatus mitteretur. Alii, vt Rex Galliæ, mirifice eorum potestatem restrinxere & circumscripsere, imo ab aliis ne quidem recepti sunt.

CAP. X.

DE ORIGINE ELECTIONVM ET POSTVLATIONVM.

§. I.

ELECTIONES cum ipso Presbyterio sunt natæ, & de his non adeo agendum est, sed de *electionum modo*, prout hodie sese habet, quo ad capitulum vniuersum ius eligendi deuolutum est, concurrente simul Papa Romano per confirmationem, contra morem primæuum.

§. II. Scilicet vbi nulla adhuc erat distinctio Presbyterorum in consessu ecclesiastico, Presbyteri eligebantur ab ecclesia. Electionis primæ historia refertur *Act. VI.*, quod ius toti ecclesiæ competens etiam confirmat Clemens *in epist. ad Corinth.* his verbis: *Apostoli hanc ob causam cum perfectam prænotionem accepissent, prædictos* (Episcopos seu Presbyteros) *constituerunt. Ab ipsis igitur vel intermedio tempore ab aliis viris celebribus, approbante simul vniuersa ecclesia, constitutos non iuste ministerio deturbari putamus.*

§. III.

§. III. Et licet legamus, Paulum per ciuitates Presbyteros constituisse, hoc tamen *suffragio* praecedente *plebis* factum est. A Paulo tantum manus impositas esse, ostendit vox graeca χειροτονεῖν, quae denotat, *suffragiis praecedentibus aliquem ordinare*. Neque enim probabile est, Paulum in constituendis Presbyteris a more ceterorum Apostolorum recessisse, qui electionem ecclesiae, sibi vero tantum manus impositionem vindicabant.

§. IV. Post vbi ex collegio Presbyterorum Episcopi singulariter electi sunt, Presbyteri quidem in electione primas partes tulisse videntur, plebe tamen omnino electioni consentiente. Scilicet olim primus in consessu erat, quem ordo demonstrabat, non quem electio; sed postquam sequentes in ordine non semper digni inuenti fuerunt, ad primatum digne administrandum, electio vbique placuit. Hilarius *in Comm. ad Ephes. IV*. Inde constat hoc negotium primario ad collegium Presbyterorum pertinuisse.

§. V. Praxin huius electionis a tota ecclesia peragendae exempla sequentium seculorum clarissima ostendunt, & perspicue eam demonstrat Blandellus *in Apologia pro sentent. Hieronymi p. 379. seqq.* Et quamuis in seculo II. perspicua testimonia haud occurrant, seculo III. tamen apud Cyprianum Ori-

Origenemq; plura argumenta suggeruntur, quæ ostendunt praxin anteriorem. Conf. Euseb. *lib. VI. H. E. c. 29.* vbi electionem Fabiani refert.

§. VI. Consensum plebis in electionibus Episcoporum necessario requirit Origenes, cuius verba retulit Gratianus in *cap. 15. C. 8. q. 1.* Similiter passim Cyprianus in suis epistolis idem vrget, quæ loca adducit Blandellus *cit. l. p. 381.* ex quibus colligitur, 1) populo olim ius eligendi competiisse, 2) hoc per omnes prouincias obseruatum fuisse, 3) hunc morem ab apostolico exemplo, quod *Act. VI.* occurrit, petitum esse, 4) plebem ius recusandi indignos habuisse, 5) ordinationem ipsam per manuum impositionem demum a comprouincialibus peractam fuisse.

§. VII. Hæc omnia ostendunt, falsam esse sententiam Grotii *de Imper. summar. potest. circa sacra c. 10.* §. 8. populo tantum *votum negatiuum* competiisse, seu *ius allegandi causas*, quare electus ab iis non esset recipiendus, quamuis hoc ipsum quoque probare videatur Petrus de Marca *lib. 8. c. 2. §. 4.* cum tamen adhuc in Concilio Nicæno electio plebi confirmata sit. Socrates *lib. I. c. 9.*

§. VIII. Intererant electionibus comprouinciales Episcopi, quibus ius ordinandi electum competebat, quod ipsi electioni primis

primis temporibus immediate cohærebat. Mos hic postmodum *Can. IV. Concilii Nicani* firmatus est, vbi rursus existimat Marca *cit. l. c. 3.* sub illa ordinatione etiam electionem latitasse, quod tamen satis testimonio Socratis *cit. l.* refutatur. Hoc quidem negari nequit, Episcopos comprouinciales habuisse ius *nominandi* & *commendandi* ecclesiæ Episcopum, de quo in Synodo deliberabant, sed illud electionem ipsam non inferabat seu perficiebat, sed populi suffragium accedere debebat, vt sic Episcopi comprouinciales quandoque *censerent*, populus vero *iuberet*.

§. IX. In Orientis ecclesiis non diu plebs hac libertate vsa est. Nam in ecclesiis minoribus solebant Metropolitani Synodum, non in ecclesia vacante, sed in ipsa vrbe Metropoli congregare, quo ipso per necessariam consequentiam plebs excludebatur, vel ad minimum ei tantum ius recusandi relinquebatur. Ab hoc tempore fere populus tantum ius nominandi & a Concilio Episcopum petendi habuit, vti ex *canone 16. Concil. Antioch.* constat.

§. X. Ipse Iustinianus vilem plebem ab electionibus remouit, etiam in maioribus ciuitatibus, & ius electionum Synodo addixit, adhibito consensu cleri & ciuibus honoratis. *l. 42. C. de Episc. N. 123. 137.* Praetextus sine dubio fuit, quod plebs turbas

dare

dare solleret in electionibus, quorsum collimat *c. 13. Concil. Laodic.* Neque enim ignotæ sunt turbæ, quæ sæpe in electionibus datæ sunt, de quibus egi in Differt. *de iniust. vocat. fact. ad clamor. populi.*

§. XI. Non diuturnas vires habuit hæc constitutio. Mox ab ea recessum, cum Episcopalis Synodus in Oriente sibi ius eligendi vindicaret & Synodus Nicæna II. confirmaret. Marca *de conc. sacerd. & imp. lib. IIX. c. 7.* quod eo prætextu sine dubio factum est, quia ipsa ordinatio a Synodo comprouincialium facienda, electioni olim cohærebat, quæ postea electionem ipsam Episcopis detulit.

§. XII. Maior libertas plebi relicta est in *ecclesia Occidentali*, quæ etiam absque huiusmodi Synodo Episcopali electiones cum clero peragere potuit, solo metropolitano electionem confirmante, id quod ex Pontificum decretis probat Marca *cit. l. c. 8.* Neque enim, cum comprouinciales haud semper concurrerent ad electionis actum, ius sibi eligendi asserere poterant.

§. XIII. Quemadmodum vero in sedibus principalibus confirmatio Cæsarum paulatim desiderata est, adeo vt ne quidem Romanus Episcopus sine confirmatione Cæsaris constitui potuerit, ita postea Reges in aliis regnis passim se Episcoporum ele-

ctionibus immiscuerunt. De iure antiquo Cæsarum & Regum agit Conring. *de Constit. Episcoporum per Germaniam.*

§. XIV. Quin etiam rebus id suadentibus nonnunquam Imperatores ipsimet constituerunt Episcopos Conring. *cit. l.* §. *19.* quod tamen *extraordinaria via* factum est. Similiter postquam Reges in Germania fidem christianam amplexi sunt, ad exemplum ceterorum Regum confirmationes Episcoporum sui iuris esse censuere, quin Francorum Reges maiori libertate hic usi sunt, vt fere ab eorum nutu Episcopatus dependerint. Conring. *cit. l.* §. *21.*

§. XV. Equidem anno 549. in Concilio Aurelianensi IV. iuxta antiquos canones electionem fieri debere, cum voluntate tamen Regis, cautum est, quo ipso cleri & populi electio conseruata est, sed voluntas Regis semper præualuit. Hoc ipsum rursus præcauere voluisse videntur anno 557. in *Concilio Parisiensi III. can. VIII.* cuius summam refert Gerardus Dubois *Histor. eccles. Paris. l. II. c. 5. p. 81.* & sequentia addit: *Mos ille inualescebat, vt cum sedes Episcopalis vacaret, non is sæpe eligeretur, qui meritis ceteros anteiret, sed qui plus haberet gratiæ vel auctoritatis apud Regem, iaceretque antiqua electionum forma. Consultum est quoque huic incommodo per renouationem antiquorum canonum, qui electionem*

Epi-

Episcoporum populo & clero, cum consensu metropolitani & comprouincialium Episcoporum, assertam esse volebant.

§. XVI. A tempore Caroli M. maior Regibus Germaniæ potestas in constituendis Episcopis adscribitur; quippe ab hoc tempore ipsimet pro lubitu Episcopos constituerunt, mediante *inuestitura per annulum & baculum* docente Conringio *de Constit. Episc. per German.* §. 34. *seqq.* vt fere populo & clero præter nominationem nihil relictum esset, *Id.* §. 36. metropolitanis autem ordinatio tantum conseruaretur Baluzius *ad Lupum epist. 81. p. 416.*

§. XVII. Primus omnium Hildebrandus ius inuestituræ Regibus adimere tentavit, prætextu Simoniæ commissæ, inde anno 1078. decreuit, vt nullus clericorum de manu Regis inuestituras acciperet. Imperator Heinricus IV. mascule eidem restitit, vnde non potuit non incurrere odium Papæ. Paschalis promouit hoc Papale institutum, & tandem cum Henrico V. conuenit, vt Episcopi, dimissis regalibus, inuestituram a Pontifice acciperent; Episcopis tamen reclamantibus nihil actum est. Demum Calisti II. artibus victus Imperator iure suo cedere debuit.

§. XVIII. Ab hoc tempore rursus iuxta, pacta inter Calistum II. & Imperatorem libera

bera electio penes clerum & populum fuit, quamuis tempore admodum exiguo. Mox enim Papalis ambitus vlterius progressus electiones liberas fere sustulit per *mandata de prouidendo* & *reseruationes* sub Friderico II.

§. XIX. Hac ipsa ætate Friderici II. tamen noua forma electionum audita est, quatenus Pontifex eas haud turbaret. Populus enim exclusus cum reliquo clero ecclesiarum cathedralium, & ad solum capitulum deuoluta electio, vti constat ex huius Imperatoris *A. B. de libertate ecclesiar.* Conring. *cit. l.* §. *64.* quod ex imitatione aulæ Romanæ profluxit, in qua electio Papæ iam ad Cardinales deuoluta erat, a temporibus Cœlestini II. qui capitulum illius ecclesiæ constituebant. Accessit præterea hæc ratio, quod clerus proprius ecclesiæ cathedralis se iam separasset a reliquo ciuitatis illius clero, cum quo antea vnum corpus constituerat. Hac facta separatione, iura Senatus ecclesiastici vnice ad se traxit.

§. XX. Sic itaque ad Canonicos tandem deuoluta electio est, exclusa plebe reliquoque clero post seculum XII. vt probat Espen. *de Iur. Eccles. P. I. tit. 13. c. 2. §. 3.* quo iure tamen non diu gauisi sunt. Nam seculo XIV. raræ admodum electiones a Capitulo peractæ, sed Romam tractæ per

prouisiones & *expectatiuas*. Inde tandem graves lites inter aulam Romanam & clerum Germanum ortæ sunt. Concilium Basileense & Constantiense par͞ã nostris profuit. Tandem Fridericꝰ III. anno 1447. cum Nicolao V. *concordata Nationis German.* iniit, quibus liberæ electiones Capitulis rursus restitutæ sunt, prout hodie frequentantur. Espen. *tit. l.* §. 9. *seqq.*

§. XXI. Ceterum haud erat differentia inter *electionem* & *postulationem*, tanquam species sibi oppositas, sed postulatio tunc adhibebatur, si populus nominabat Episcopum, eumque constitui a clero postulabat. *C.16. D.61. c.1. D.62. c.9. D.65. l.49. C. Theod. de decur.* Scilicet ab antiquo in electionibus præualebat quodammodo cleri suffragium, vnde populo sæpe tantum assensus adscribitur. Quando ergo populus ante cleri decretum aliquem eligi postulabat, hic actus *postulatio* dicebatur.

§. XXII. Sic etiam vbi adhuc penes reges essent inuestituræ cum annulo & baculo, populo erat ius postulandi a Rege, vt ille confirmaretur, quem elegisset, & ita postulare reuera nihil aliud erat, quam petere, vt electus confirmaretur.

§. XXIII. Sed tandem applicari cœpit hæc vox electionibus eorum, quibus obstabat impedimentum Canonicum, dispensabile ta-

tamen, & postquam electio ad Capitulum est deuoluta, postulare quoque illud debuit a superiori, ut permitteret electionem eius, qui directo eligi non poterat. Et cum huiusmodi casus postulationis hoc rerum statu fere vnice frequentarentur, huic rei *postulationis* nomen priuatiue inditum est.

CAP. XI.

De ORIGINE ORDINATIONIS.

§. I.

ORDINATIO consistit in *solenni impositione manuum in caput ejus, qui in ordinem ecclesiasticum seu ministerium sacrum cooptandus est*. Quamuis enim vnctio quoque adhiberi soleat a Pontificiis, hæc tamen paulo serius accessit, eo scilicet tempore, quo Episcopi sacerdotium proprie dictum affectarunt, & ita ad morem Sacerdotum V. T. vnctionis ritum introduxerunt, vt veri Sacerdotes hoc modo fierent.

§. II. Hæc impositio manuum est antiquissimum institutum, a tempore Mosis iam inter Iudæos vsitatum, & eo casu imprimis ad-

adhiberi solitum, vbi quis ad arduum quoddam officium esset promouendus, exemplo Iosuæ, qui hoc ritu Israelitis præpositus est, *Num. XXVII. 23. Deut. cap. vlt. v. 9. seqq.*

§. III. Et quidem in Mose hæc impositio erat *donum* aliquod *extraordinarium*, benedictione diuina munitum: in cuius signum ab omni æuo hæc impositio adhibita est, *Gen. XLIIX. 13. 14.* Multo magis ergo hac benedictione & apprecatione gratiæ diuinæ opus fuit in suscipiendo officio arduo.

§. IV. Inde Iudæi hunc ritum postmodum adhibuerunt, quoties quis inter Presbyteros esset cooptandus, quod fiebat auctoritate Synedrii. Erat enim horum munus satis arduum, consistens in docendo & iudicando, ad quod munus per hanc impositionem ordinabantur, etiam adhuc tempore Saluatoris nostri, vti docet Vitringa *de Synag. vetere lib. 3. P. I. c. 15.* Breuiter: erat *solennis quædam promotio, vnde habiles fiebant, vt deinde assumi possent in Synedrium magnum.*

§. V. Neque enim tempore Saluatoris iis tantum manus imponebantur, qui certo officio præponebantur, quod quidem antiquitus vsitatum fuit, sed vt plurimum impositione manuum eruditi promouebantur ad quendam gradum honoris, vt deinceps in Syne-

Synedrium cooptari legitime possent. Vitringa *de Synag. Vet. p. 840.*

§. VI. Apostoli eundem morem & ritum benedictionis retinuerunt, sed maiori cum virtute & efficacia, ac quidem Iudaei. Neque enim manus impositio eorum tantum erat *benedictoria*, sed *miraculosa* & *virtutis plena*, prout Saluator promiserat *Marci XVI. 18.* Neque tantum in constitutione Presbyterorum adhibebatur, sed aliis variis in casibus, vbi gratiam hanc fidelibus dandam esse censebant.

§. VII. Sic manus imponebant ad fidem conuersis, hac singulari virtute, vt Spiritum S. acciperent *Act. VIII. 17. 20.* similiter quoque aegrotantibus *Act. IX. 17. seqq. Act. XXVIII. 8.* denique quoque Presbyteris, & qui ad praedicandum Christum in genere delegabantur, haec manuum impositio dabatur, vtpote qui virtute Spiritus S. omnium maxime indigebant. *Act. VI. 6. XIII. 3.*

§. VIII. Sic itaque manuum impositio, quae fiebat ab Apostolis, non nuda ceremonia erat, vti apud Iudaeos, nec fiebat hac intentione, vt ad instar *legis ecclesiasticae* illa in posterum obseruari deberet in constituendis Presbyteris, sed *extraordinaria potestas* erat, Apostolis a Christo tributa, vti in Mose *Deut. XXXIV. 9.* qui itidem singulari virtute a Deo instructus erat *ibid. 10. seqq.* Apud Iu-

Iudæos impositio manuum in hunc finem fiebat, vt Doctores promoti siue Magistri fierent. Apostolorum diuersa fuit intentio, qui non honoris gradus, sed Spiritus S. dona conferre intendebant.

§. IX. Proinde non alii imponebant manus, quam qui hoc singulari dono erant instructi, quales erant imprimis Apostoli, & præterea etiam alii. Talem virtutem Timotheus acceperat, per impositionem manuum a Paulo factam *2 Tim. I, 6.* & inde quoque Presbyteris manum imponebat, *1 Tim. IV, 14.* Erat enim Timotheus Pauli socius & collega, imo vicarius, & ita apostolico iure agebat. Vid. *Diss. iur. eccles. antiqui ad Plin. & Tertull. Diss. VII. §. 9. p. 400. seqq.*

§. X. Vnde minus recte afferitur, fuisse illam *iuris diuini*, & necessario in constituendis Presbyteris obseruandam. Post Apostolorum discessum quidem Episcopi & Presbyteri illam continuarunt, sed non eodem iure & modo, quippe quæ erat tantum *benedictoria* non *miraculosa*, vt apostolica. Immo illa, quæ post ab ecclesiis vsitata est, magis a more Iudaico desumta videtur, quo hi constanter vtebantur in constituendis Presbyteris.

§. XI. Sed iam seculo III. illa hinc inde audita est opinio, manuum impositionem,

tunc

tunc vsitatam, esse apostolicam, eademque virtute præditam. Crediderunt enim (1) hanc potestatem fuisse ordinariam, (2) Episcopos esse successores Apostolorum, & ita quoque Episcopi præcipue ius illud sibi vindicarunt, imo eandem efficaciam eidem attribuerunt; quæ olim apostolica habuit.

§. XII. Sed vtrumque fundamentum erroneum fuit. Petrus Molinæus *de pœnitent. & clauibus lib. IV. c. 6.* Licet enim Episcopi ius imponendi manus postea exercuerint, id tamen minime ab initio sibi vindicarunt, quatenus essent *successores Apostolorum*. Scilicet postquam inualuisset discrimen inter Presbyteros & Episcopum, huic in consessu ecclesiæ prima non tantum sedes competiit, sed etiam omnium negotiorum ecclesiasticorum suprema directio. Ergo vbi Presbyter erat creandus, huic quoque potissimum manus impositio adscribitur, quippe qui ordinationem dirigebat.

§. XIII. Interim non ipse solus illam perfecit, sed reliqui in consessu Presbyteri simul manus suas ordinando imposuerunt, & ita ad eum actum concurrerunt; vti ostendi *in dissert. ad Plinium II. p. 420.* Imo & Presbyteri ordinare poterant ex consensu & mandato Episcopi, cum eius auctoritate omnia essent peragenda. In nonnullis

quoque locis etiam Presbyteri ordinabant, ſede vacante, vel Epiſcopo abſente, teſte Hilario *in Comment. ad Epheſ. IV.* quia Epiſcopi nihil aliud erant, quam *primi Presbyteri*, ipſo fatente Hilario, nec ipſo ordine & ſtatu a reliquis Presbyteris differebant.

§. XIV. Neque in impoſitione manus tantum *auctoritas Epiſcopi* deſiderabatur, ſed etiam in quibusque aliis actibus ſacris, a Presbyteris peragendis, nam nec actum baptizandi, & euchariſtiam celebrandi, illi expedire poterant ſine auctoritate Epiſcopi, teſte *Tertull. de Baptiſmo. c.* 17. ergo multo minus ordinationem. Eo autem conſentiente, omnes ſacros actus, quos ipſe Epiſcopus expediebat, peragere poterant, cum in caſu abſentiæ Epiſcopi Presbyteri eius vices ſupplerent Socrates *lib. I. H. E. c. 8.* Vnde patet Epiſcopo magis ex *conſuetudine eccleſiæ*, quam *ex iure diuino* hanc competere ordinandi facultatem.

§. XV. Dicebatur hic actus *ordinatio*, quia electus recipiendus erat in *ordinem eccleſiaſticum*, ſeu in *conſeſſum ordinis eccleſiaſtici* per manus impoſitionem, de quo conſeſſu plenius egi *diſſ. 7. iur. antiq. eccleſ. ad Plinium II.*

§. XVI. Verum poſtquam ſeculo III. conſtanter hæc ſententia defenſa eſt, Epiſcopos tantum eſſe Apoſtolorum ſucceſſores,

res, quod imprimis sedulo inculcat Cyprianus, & præterea opinio de sacerdotio Episcopis conferendo inualuit, paulisper Presbyteros ab ordinatione excluserunt, constituentes, vt in collegio Episcoporum comprouincialium electus Episcopus ordinaretur, Presbyteri vero electi a solo Episcopo manus impositionem acciperent.

§. XVII. Præterea etiam crediderunt, potestatem illam, quam Apostoli per manus impositionem exercuerunt, fuisse *ordinariam*, in omnes successores deriuandam, & inde paulatim creditum fuit, per illam ordinato conferri singularem diuinam *virtutem* & *diuinam gratiam*, vi cuius demum posset actus sacros perficere, & omnem potestatem sacram explicare. Inde necessitas absoluta ordinationis statui debuit.

§. XIIX. Hinc factum, (1) vt ordinatio inter *sacramenta* proprie dicta referretur (2) vt *character* quidam *indelebilis* fingeretur, quasi animæ ordinati imprimeretur, & efficeret, ne posset ordinatio reiterari, quæ opinio tamen omni fundamento caret. Petrus Molinæus *de pœnit. & clauibus lib. IV. c.* 14. Atque hæc omnia ostendunt, ordinationem hodiernam non esse Apostolicam, sed magis superstitiosam.

CAP. XII.
DE ORIGINE PALLII.

§. I.

PALLIVM hodie omnes Archiepiſcopi, & quidam Epiſcopi exemti, qui Archie piſcopis æquiparantur, a Pontifice poſt confirmationem petere debent, quo ipſo iis conferri dicitur *plenitudo poteſtatis pontificalis*, vt conſecratio ſola iis non ſufficiat, ad actus ſacros maximi momenti expediendos.

§. II. Olim pallium erat indumentum quoddam imperiale, quo ſoli imperatores utebantur, vt hoc præclaro habitu ab aliis diſtinguerentur.

§. III. Quia vero Imperatores inſignem erga *Patriarchas* ſemper venerationem habuerunt, vſum pallii iis ſpeciali ex gratia communicarunt, Romano ſcilicet, Antiocheno, Alexandrino & Conſtantinopolitano, qui etiam, ſede ſua pulſi vel depoſiti, illud Imperatori reddere debebant, exemplo Antimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſede ſua deiecti, qui Iuſtiniano pallium reddidit, teſte Liberato *in Breuiar. c. 21.*

§. IV.

§. IV. Erat itaque *beneficium Imperatorium*, ex quo maiorem poteſtatem Patriarchæ non conſequebantur, cum tantum in dignitatis ſingularis eccleſiaſticæ documentū illis ex gratia datum eſſet. Proinde illud aliis communicare, integrum Patriarchis haud erat, vtpote quod ſuo iure non habebant, ſed ex mera Cæſarum indulgentia.

§. V. Poſtquam autem quinto ſeculo Pontifices hinc inde vicariatum ſuum iis, quos ſibi ſubiicere conabantur, ſub ſpecie *maioris dignitatis* conferrent, impetrarunt ab Imperatoribus, vt vſum pallii iis quoque, tanquam perſonam ſuam repræſentantibus, conferre poſſent. Ita Vigilius Auxanio Arelatenſi Epiſcopo Vicariatum & vſum pallii conceſſit, conſentiente Iuſtiniano, deſuper implorato. Vid. Vigil. *epiſt. I. ad Auxan.* Idem ſucceſſori eius Aureliano pallium conceſſit, ſed rurſus ex Iuſtiniani noua conceſſione.

§. VI. Quamuis itaque tantum ex gratia Imperatoris Vicariis hiſce pallii vſus conferri debuerit, hac tamen mox ſepoſita, Pontifices quaſi *ſuo iure* vicariis eius vſum conceſſerunt, maxime Arelatenſibus, id quod primus tentauit Gregorius M. qui anno 595. Virgilio ſine præuio conſenſu Imperatoris pallium contulit, ex hac forſan ratione, quod vicariatus perpetuo iure Are-

relatenſibus iam antea eſſet conceſſus, nec adeo in ſingulis noua conſenſus impetratione opus videretur, quamuis in Aureliano priſtinum morem retinuerit, vt modo dictum eſt. Sic etiam vbi de nouo Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo illud concedere vellet, aſſenſum Imperatoris, more recepto, antea expetiit.

§. VII. Sicuti itaque pallium circa hæc tempora inſigne *dignitatis Patriarchalis* erat, ita non aliis per Occidentem communicabatur, quam qui *Vicariatum* Pontificis Romani per has eccleſias gerebant, adeo vt vel ſola communicatio huius pallii *vicariatum* in ſe contineret, quod patet ex *epiſt.* Gregorii M. *ad Auguſtinum Lib. XII. ind. 7. epiſt. 15. In Galliarum Epiſcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis meorum Prædeceſſorum temporibus pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos priuare auctoritate præcepta minime debemus.* Aliquoties Gregorius M. communicaſſe quibusdam vſum pallii legitur, non facta mentione vicariatus, quod non neceſſe erat, quippe qui pallio cohærebat, & quidem vel ideo, quod pallium propter *vicariatum* daretur, vt probaui in *obſeru. ad Petrum de Marca p.* 180.

§. IIX. Inde nata eſt formula vulgata, per pallium conferri *plenitudinem officii pontificalis* h. e. vicariam Pontificis Romani pote-

te-

testatem, vt pallio indutus sciret, se pontificalem & Patriarchalem potestatem accepisse, cum antea duntaxat archiepiscopalem habuisset, quæ tamen hac noua assumta dignitate absorpta vel suppressa est. *obseru. cit. l. §. 3.*

§. IX. Cum vero metropolitani Occidentales ingentes inter se æmulationes foverent, & de proedria contenderent, maximopere ambierunt vsum pallii, vt, hoc induti, vices Patriarchæ Romani gerere viderentur, & ita hoc sub clypeo reliquis metropolitanis pallio destitutis praeponerentur vid. *c. 2. D. 100.*

§. X. Hactenus tamen nemini obtrudebatur, sed petentibus & sollicitantibus demum concedebatur: sed quia Pontifex animaduerterat, hoc modo præcipuos metropolitanos subiugatos esse, vtpote qui hoc pallio induti ei fidelitatem promittere, & ab eo dependere debebant, eo rem tandem deduxit, vt omnes Archiepiscopi illud petere debuerint.

§. XI. Hoc ipsum vel ideo proficuum Pontifici Romano videbatur, quia Archiepiscopi summa in ecclesiasticis per Occidentem pollebant potestate, vt Pontifex illam potestatem in eos non haberet, qualem ex post facto consecutus est. Hoc medio autem omnes subiugari posse facile

præ-

prævidebat, quia per pallii adeptionem ex post facto agnoscere cogebantur, se potestatem suam Pontifici Romano acceptam ferre debere, quam antea *proprio iure* habebant.

§. XII. Voti sui compos factus est ope Bonifacii, quem vulgo *Apostolum Germanorum* vocant. Hic enim seculo IIX. in Galliam Germaniamq; missus synodum coegit anno 742. & in ea blandis persuasionibus metropolitanos omnes induxit, vt promitterent, se in posterum pallium a Pontifice Romano petituros esse.

§. XIII. Suboluerant ab initio metropolitani, hac concessione pallii auctoritatem suam, quam ex canonibus habebant, magnopere periclitari, seque ita adduci ad insolitam reuerentiam erga sedem Romanam, præterea rumor increbuerat, non sine aliquo præmio vel tributo pallium redimi posse, inde plures illud petere recusarunt. Certior hac de re factus a Bonifacio Zacharias, rescripsit, nihil inde verendum esse Archiepiscopis, pallium nihil aliud esse, quam *discretionem inter Archiepiscopos & eorum suffraganeos* illudque gratis conferendum &c. Hoc modo demum obtinuit, vt Archiepiscopi promissis incaute starent.

§. XIV.

§. XIV. Ita omnibus Archiepiſcopis neceſſitas eſt impoſita petendi pallium, quo facto ſub ipſa impetratione petentibus variæ conditiones obtruſæ ſunt. Nam (1) promittere ſubiectionem, & iuramentum fidelitatis præſtare debuerunt, (2) vſus eius ad primarios actus ſacros reſtringi cœpit, vt ſine eo actus ordinis epiſcopalis peragere non poſſent, et inde ipſo facto confiterentur, ſe hanc poteſtatem quaſi *per pallium* accepiſſe idque ex antiqua formula, quod pallium deſignaret *plenitudinem officii pontificialis*, quam hoc pallio induti demum exercerent, & per pallium conſequerentur, quam tamen iam ante pallii impetrationem olim *ſuo iure* habebant.

§. XV. Tandem quoque ipſa pallii forma immutata & loco eius faſcia exigui pretii miſſa eſt, quam ingenti pretio hodie redimere coguntur, cum olim præclarum indumentum eſſet, quod ad talos vsque dimittebatur. Auguror faſciam hanc indumenti ipſius ſupremam partem fuiſſe, quæ poſtea ideo tantum miſſa eſt, vt Archiepiſcopi indumentum ipſum ei annecterent, quod forſan parſimoniæ aulæ Romanæ adſcribendum Vid. Petrus Joſephus Cantelius *hiſtor. metrop. vrb. p. 53.*

CAP.

CAP. XIIII.

De

SACERDOTIO ECCLESIASTICO EIVSQVE ORIGINE.

§. I.

DE Origine Presbyterorum & Episcoporum pro instituti ratione supra actum simulque ostensum est, eos ecclesiæ præfuisse, non vt *sacerdotes*, qui in V. T. sacris templi vacabant, & independentem quandam in sacris auctoritatem habebant, sed vt *ministri* ab ecclesia electi & constituti, vt dirigerent negotia societatis ecclesiasticæ, curam pauperum & viduarum gererent, & inspectores morum essent. Quia vero hi ipsi postmodum *Sacerdotium* vindicarunt, & quidem illud ipsum quod olim in Republ. Iudaica rebus sacris & ciuilibus etiam præerat, inde omnino necesse erit, huius fontes in N. T. eruere.

§. II. Respublica Iudæorum erat *Theocratica*, in qua summum Numen peculiari prorsus ratione rempublicam administrabat, & dirigebat, quod fusius alii, imprimis Joannes Spencer *de LL. Hebræor. ritual. lib. I. p. 300.* & Hermannus Witsius in oratione *de*

de Theocratia Israelitarum, præmissa tractatui Goodwini *de antiquis ritibus Hebræorum*, explicuerunt. Cum vero Deus in republica Iudaica haud visibili specie adesset, constituit ordinarios regni illius præsides Sacerdotes, et imprimis summum Pontificem, qui vice sua iudicia legis exercerent. Summus Pontifex *pectorale iudicii* gestabat, quod ille esset primus summi regis minister ordinarius, & præcipuus inter sacerdotes litium & iudiciorum arbiter, vt loquitur Spencer *cit. l. p.* 311. Huius deciso præcise standum erat sub pœna mortis *Deut. XVII.* 8. *seqq.* quorsum iam antea collimasse videtur Deus *Exod. XIX.* 6. constituens, populum Israeliticum *sacerdotale regnum* esse debere, quod Sacerdotibus primarium munus in republica demandasset. Et, vt in summa dicam, sacerdotium non tantum sacris sed etiam ciuilibus præerat negotiis, & quidem *independenter*, respectu habito ad populum Iudaicum, cum hanc potestatem non a populo Iudaico, sed immediate a Deo accepisset.

§. III. Hoc sacerdotium intime reipublicæ erat innexum, vt stante ea vigorem suum haberet, ea collapsa, iuris quoque sui vsum & potestatis exercitium amitteret. Et quia ad solam Aaronis prosapiam restrictum erat, ius quoque illud *regium* &

independens ab aliis vindicari non potuit. Quæ cum ita sint, facile apparet, Presbyteros & Episcopos primitivos sacerdotium nullum affectare potuisse, ad imaginem sacerdotii Aaronici, quippe de quo nullum mandatum a Christo Apostoli acceperant, nec ipsimet vnquam eo dilabebantur, vt *regjum Sacerdotium* in clero instituere vellent. Accedit, quod, prout antea euictum est, presbyteros constituerint iuxta morem Hebræorum, qui principes & sapientiores in populo, sacerdotibus & Leuitis contradistincto, erant, & nullum munus sacerdotale gerebant. Imo ipsum presbyterorum munus dependebat ab ecclesia, quemadmodum etiam auctoritate seu decreto ecclesiæ constituti erant *Act. VI.* vt ei quoque integrum esset, rursus eos ab officio iniuncto remouere, vti Clemens *in epist. ad Corinth.* non obscure indicat. Plures præterea ex sacerdotibus fidem in Christum amplectebantur *Act. VI.* 7. qui tamen in ecclesia Christiana nullum munus sacerdotale gerebant, quod primario iis competiisset, si *sacerdotii regii* in cœtibus fidelium ratio haberi debuisset.

§. IV. Hinc est, quod Apostoli passim in scriptis suis *sacerdotium regium* omnibus fidelibus, mystica quadam ratione, vindicent, extra quod nullum aliud *proprie dictum* & *exter-*

ternum sacerdotium agnoscunt, nec vnquam, vbi Presbyterorum mentio iniicitur, sacerdotium Iudaicum eis tribuitur, multo minus asseritur, eos fuisse ad sacerdotium quoddam euectos. Fabulam reuera narrat Dodvvellus *in Paranesi de schismate*, contendens, collegium Apostolorum respondisse collegio sacerdotum, quemadmodum relatio Epiphanii *haeres.* 29. *n.* 4. Jacobum *laminam Pontificalem* gessisse, quod fuisset primus ecclesiae Hierosolymitanae Episcopus, omni fundamento & probabilitate caret. Denique nec Apostoli nec presbyteri vllum munus sacerdotale gesserunt, quod nec cultus Christianorum requirebat, qui simplex, sine pompa, sacrificiis, aut alio omni apparatu erat, qui pontifices vel sacerdotes requirit.

§. V. Atque in hac simplicitate per duo secula priora sterit ecclesia, vbi nullum genuinum sacerdotii vestigium occurrit. Nam quamuis Tertullianus passim eius mentionem faciat, magis tamen ad tertium referri debet seculum, quo scriptis suis inclaruit. Iustinus Martyr huius sacerdotii nullam facit mentionem, & quamuis hinc inde de *sacrificiis* Christianorum loquatur, diserte tamen fatetur, illa proprie dicta non esse, sed in ardentissimis precibus quaerenda apud Christianos esse, quo posito singuli

Christiani dicendi essent sacerdotes, quod hi quotidie preces suas Deo offerrent. Novi quidem, quod obiicere soleant, nomen quidem sacerdotii non referri, bene tamen rem ipsam, sacrificium scilicet eucharistiæ: sed hoc æque negandum est, cum nullibi eucharistia sacrificium in N. T. dicatur, nec vt per modum sacrificii exhibeatur, a Christo institutum sit.

§. VI. Magnis animi motibus hæc materia per aliquot annos in Anglia agitata est. Prodiit anno 1706. Londini liber *de iure ecclesiæ Christianæ defenso contra sacerdotes Romanos & omnes alios, qui potestatem independentem sibi in illam vindicant*, anglice scriptus sub titulo: *The Rights of the Christian Church asserted against the Romisch and all other priests, vvho claim an independent povver ouerit.* Sciagraphiam huius libri dedit Clericus *tom. X. selecta bibliothecæ art. 7.* Opposuerunt se huic libro plures, vt Georgius Hickes, Wilhelmus Wotton, Ioannes Turner, Samuel Hill aliique, quorum tractatus coniunctim recenset Clericus *tom. XXI. bibliothæ selectæ art. 1.* Horum omnium conatus huc vergunt, vt ostendant, sacerdotium proprie dictum in N. T. Episcopis & presbyteris asserendum, & sacrificium proprie dictum in eucharistia quærendum esse, quod imprimis Georgius Hickes magnopere vrget. Atque inde

inde omnem *independentiam* poteſtatis Epiſcopalis a ſtatu ciuili deducunt, & Hiearchiæ fundamenta petunt.

§. VII. Sed hæc doctrina, prout antea dictum eſt, prioribus duobus ſeculis incognita fuit, & demum ſeculo III. inculcata eſt, vti ſcripta Tertulliani, Cypriani Origenis aliorumque docent. Equidem in epiſtolis Ignatianis huius *ſacerdotii* mentionem fieri animaduerti, cum in *epiſt. ad Smyrn.* hæc habeantur: *Et honora Deum vt omnium auctorem & dominum; Epiſcopum vero vt principem ſacerdotum.* Similiter in *epiſt. ad Heronem: Nihil ſine epiſcopo agas: Sacerdotes enim ſunt; tu vero miniſter ſacerdotum.* In epiſt. *ad Philadelph.* itidem mentio *ſacerdotii* iniicitur his verbis: *Principes ſubditi eſtote Cæſari, milites principibus, Diaconi presbyteris & ſacerdotibus.* Sed hæc ipſa ſatis indicant, Ignatianas epiſtolas eſſe ſpurias & confictas, cum nec Apoſtoli, nec alii Apoſtolici viri Epiſcopis & presbyteris vllibi *ſacerdotium* tribuant, adeoque hi a ſeculo Ignatiano ſint plane alieni, vti Io. Dallæus *de ſcript. quæ ſub Dion. & Ignat. nomin. circumfer. lib. II. c. 25. p. 384.* vbi addit, *euentum docuiſſe, quam ſapienter Apoſtolici hoc ſermone abſtinuerint; ex quo ſemel inducto accidit, vt presbyteri cum nomine rem, eo proprie ſignificatam, tametſi a ſuo munere alienam, ſibi tandem vindicarent.* Quamdiu itaque de ſinceritate do-

cumenti ad probandum inducti haud constat, fidem operari nullam potest.

§. IIX. Tertullianum in scriptis suis *sacerdotii* passim mentionem facere, eo minus mirandum est, quia *vir legum Romanarum peritissimus* fuit, vt ait Euseb. *lib. II. c. 2. hist. eccl.* & praeterea mysticae Theologiae magnopere assuetus, adeoque non raro terminis iuris vtitur, & his res & instituta Christianorum, sensu tamen aequiuoco, exprimit, quin etiam plura mystice exponit, quae a propria significatione aliena sunt. Episcopum vocat *summum sacerdotem* in *tr. de baptism. c.* 17. Imo in *c. 7. de exhortat. ad castit.* sacerdotium *ordini ecclesiastico* propter *oblationem* disertis verbis adscribit, & suo modo etiam laicis. In tr. *de virgin. veland. c. 9. p.* 178. animi sui sententiam his prodit verbis: *non permittitur mulieri loqui in ecclesia, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum sacerdotalis, officii sortem sibi vindicare.* Cum enim Tertullianus supposuisset, eucharistiam esse sacrificium, non potuit non quoque sacerdotium episcopis & presbyteris adscribere.

§. IX. Promouit hanc doctrinam magnopere Cyprianus, praesertim cum Tertulliani doctrinas nimium vbique secutus fuerit, vti eruditi obseruant. Imprimis vero id strenue agit, vt independentiam & reuerentiam

tiam sacerdotibus præstandam ex iure Mosaico vbique inculcet, argumentis petitis ex veteri Testamento; quæ adeo incaute applicat ad statum N. Test., vt eandem Episcopis (nam de horum sacerdotio potissimum sollicitus est) tribuat potestatem regiam, quam olim in republica Theocratica Iudæorum sacerdotes habuerunt, vti ex *epist. III. IV. & LIX.* constat. Nec dubium est, quin eandem doctrinam Principibus opposuisset, si in tempora Constantini & successorum eius incidisset, prout postmodum Episcopi sub hoc clypeo contra Principes pugnarunt.

§. X. Postquam itaque seculo III. hæc doctrina de *Sacerdotio Episcoporum* vbique scriptis esset confirmata, Episcopi seculo IV. eandem strenue ipsa praxi vlterius propagarunt, & sibi summum arbitrium circa sacra, quod sacerdotibus in V. T. datum erat, vindicarunt. Inde Constantinus quoque deceptus est, vt sese arbitrio Episcoporum committeret, & quamuis quædam in sacris disponere videretur, magis tamen eorum impulsu & arbitrio quam suo iure ageret, & decisioni Episcoporum pleraque relinqueret. Nihil magis ab hoc tempore actum est, quam vt sacerdotii dignitas, excellentia, & independentia publicis scriptis inculcaretur. Sic enim Hilarius *in Eph. IV.*

In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, i. e. Princeps sacerdotum, & Propheta & Euangelista, & cetera adimplenda officia ecclesiæ in ministerio fidelium.

§. XI. Si per exempla & testimonia eundum esset, ingentem farraginem coacervare possem, quod tamen ab instituto meo alienum est. Vnicum liceat tantum adducere exemplum de Ambrosio, qui a Valentiniano iussus erat Basilicam Auxentio Arriano & eius asseclis tradere, quod præfracte recusauit, & inde tandem vi extractus est. Totam rei seriem refert *epist. 33. ad Marcellinum sororem anno 387.* vbi inter alia ita scribit: *Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo. Noli te grauare imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: quæ Dei, Deo: quæ Cesaris, Cæsari. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum* &c. Adeo ius sacerdotii Ambrosius euehit, vt ne quidem templorum ius Imperatori concedere velit, quasi templum esset *ecclesia* vel *hereditas Christi*, vti satis imper-

pertinenter ait. Gelaſius anno 494. ad Conſtantinopolitanum Imperatorem impudentius ſcripſit: *Duo ſunt quippe Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto grauius pondus eſt Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem.*

§. XII. Hac independentia Sacerdotii ſtabilita, transactum quodammodo cum imperantibus de poteſtate ſuprema ciuili & ſacra, & hunc in finem cogitatum eſt *de concordia ſacerdotii & imperii*, & *de finibus vtriusque regundis*. Cum Conſtantinus eccleſiaſticis negotiis ſe immiſceret, Hoſius Cordubenſis Epiſcopus eum ita admonuit: *Tibi Deus imperium commiſit, nobis, quæ ſunt eccleſiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita & tu caue, ne quæ ſunt eccleſiæ, ad te trahens, magni crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis, in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes Imperator.* Athanaſ. *in epiſt. ad vitam ſolitar. agentes.* Sic ita-

itaque Imperatores ex hac doctrina de *sacerdotio* variis occasionibus circumuenti sunt, vt iure suo cederent, cum ad Sacerdotium omne ius circa sacra tandem relatum fuerit.

§. XIII. Imo vt eo maius pondus Sacerdotium affectatum haberet, non dubitarunt, illius potestatem ciuili praeferre, quod aperte prodit Chrysostomus *Homil. 15. in ep. 2. ad Corinth.* his verbis: *Iste autem principatus* (Sacerdotii) *ciuili tanto melior est, quanto terra coelum, imo & multo magis.* Symmachus Papa *in Apolog. ad Anastasium Imperatorem* huc quoque collimat his verbis: *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis: inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum. Tu, Imperator, a Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas. Postremo tu humana administras, ille tibi diuina dispensat. Itaque vt non dicam superior, certe aequalis honor est.*

§. XIV. Quamuis vero Imperatores, occasione ferente, nonnunquam adhuc disposuerint de negotiis ecclesiasticis, pro iure supre-

ſupremo reipubl. pleraq; tamen,ad murmurantibus Epiſcopis, egerunt, & grauiſſimas vtplurimum reprehenſiones Epiſcoporum incurrerunt. Vnde pauciſſima iura ſibi tandem reſeruarunt, pleraque prætextu Sacerdotii iis vel erepta, vel ita reſtricta fuere, ne imperantes iure ſuo libere agere poſſent. Imo & hæc reſeruata iis tandem erepta ſunt, vti ſeries temporum ſequentium oſtendit.

§. XV. Sic itaque dici nequit, quæ & quot mala ex prætenſo hoc *ſacerdotio* in reſpubl. vbique inducta ſint, quæ nec hodie ſatis eradicari potuerunt. Quamdiu eccleſia per duo priora ſecula in ſua innocentia & integritate ſubſtitit, res eccleſiæ optimo ſteterunt loco. Aſt vbi ſeculo III. *Sacerdotale regnum* excogitatum eſt, non potuere non res eccleſiæ inclinare, & in ſchema quoddam politicum reduci, contra intentionem & Apoſtolorum & Chriſti, prout egregie illuſtrat Campegius Vitringa *de Synag. vetere in proleg. c. 6. p. 68.*

CAP.

CAP. XIV.
DE
ORIGINE COADIVTORVM ALIORVMQVE VICARIORVM.

§. I.

COadiutores Episcopis dantur & substituuntur, si quidem prima rerum initia spectamus, tum vt eos subleuent, tum vt eis succedant. Olim Episcopi per se quæuis munia obibant, & tantum in casu iustissimi impedimenti vicaria aliorum opera vtebantur, quem in finem vel Presbyteris vices suas committebant, vel aliquando *coadiutores* designabant.

§. II. Equidem exempla non desunt, in primitiua ecclesia *successores* a morientibus Episcopis designatos fuisse, qualis designatio tamen coadiutores non constituebat, sed nudam potius *commendationem* continebat, quæ negligi poterat. Sic moriens Alexander, Alexandriæ Episcopus, designauit Athanasium successorem, cura Meletii, cui tamen Theonas substitutus est. Epiphan. *hæref. 68. n. 6.* Hoc mortuo demum Athanasius successit.

§. III.

§.III. Quandoque etiam plures commendarunt, officio vacanti præficiendos, quale exemplum refert Socrates *l.2. c.5.* de Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui Paulum & Macedonium commendauit. Plura alia ſimilia exempla eorum adſunt, qui ſibi ſucceſſores conſtituerunt, qui *coadiutores* haud fuerunt, quod tamen tandem prohibitum eſt *Concil. Antioch. c. 13.*

§.IV. Tales deſignati demum per electionem epiſcopatum ſuſcipiebant, quia in deſignatione nuda tantum *commendatio* erat. Conſtat hoc ipſum ex Athanaſii deſignatione ſucceſſoris, de qua ita Theodoretus *lib. IV. c. 18.* *Athanaſius Petrum ſuo ſuffragio deſignarat, eiusque electioni ab omnibus tam ſacerdotibus, quam Magiſtratibus aſſenſum eſt. Populus quoque vniuerſus acclamationibus, quantum lætitiæ percepiſſet, demonſtrauit.* Inde recte concludit Thomaſſinus *de nov. & vet. eccl. diſcipl. P. II. lib. 2. c. 55. n. 5.* ea deſignatione nihil quicquam detractum fuiſſe libertati ſuffragiorum, populi, cleri, & Epiſcoporum prouinciæ, a quibus ſucceſſoris adhuc celebrabatur electio. Aſt Coadiutores ſibi conſtituebant Epiſcopi adhuc *viuentes*, qui erant *Coëpiſcopi*, hoc modo tamen ab ordinariis diſtincti, vt coadiuuandus primatum gereret, quo ipſo eueniebat, vt duo eſſent vnius eccleſiæ Epiſcopi, quod contra antiquum

morem,

morem, & *canonem 8. Nic. Concilii* esse videbatur.

§. V. Quocirca non aliter olim id ipsum quam ex vrgentissimis grauissimisque caussis tolerabatur, si forsan Episcopus, qui hactenus ecclesiæ præerat, senectute vel morbo ingrauescente officio suo superesse amplius non posset, quo ipso contra canones ecclesiasticos reuera haud peccabatur. Ita Narcissus ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus, senio centum annorum confectus; Alexandrum Cappadociæ Episcopum coadiutorem sibi adsumsit. Euseb. *lib. VI. cap. II.*

§. VI. Similiter Macarius Episcopus Hierosolymitanus induxit plebem, vt Maximum a se ordinatum retineret, nec dimitteret, sed consentiret, vt sibi esset coadiutor & successor. Sozomenus *lib. 2. c. 18.* De ecclesia Cæsariensi simile quid factum esse, refert Eusebius *Lib. VII. c. 32.*

§. VII. Quamuis vero hæc coadiutorum constitutio tantum toleraretur in casibus necessitatis, si Episcopus non posset officio suo superesse, & ita finis principalis in sublevatione eius consisteret, qui senio vel morbo confectus erat, nonnulli tamen seculo IV. etiam hoc medio vsi sunt, vt magis sibi *successorem certum*, quam *adiutorem* constituerent. Sozomenus *lib. II. c. 18.* narrat,

Maca-

Macarium sibi ideo Maximum adiunxisse, ne Eusebianorum machinationibus Arrianus surrogaretur, & quia non raro sede vacante in electionibus turbæ concitabantur, propter competitorum æmulationem, nonnulli quoque hunc in finem sibi coadiutores petebant, quo omnis eiusmodi contentio euitaretur, & hactenus rursus, bona satis intentione, hæc *extraordinaria prouisio* fiebat.

§. VIII. Neutiquam tamen hæc coëpiscopi cooptatio priuato ausu, sed consensu cleri & plebis accedente fiebat, vti docet August. *epist. 110.* successorem sibi Euodium constituens. Neque enim canones permittebant, vt episcopatum teneret, qui cleri & populi suffragiis non esset constitutus.

§. IX. Quia vero in Oriente constitutio Episcoporum a Synodo Comprouincialium dependebat, & ita surrogatio successoris in huius fraudem fieri videbatur, *canone 23. Antioch. Concil.* tales constitutiones irritæ declaratæ sunt. Neque, vt contextus docet, tantum hic canon de *nuda designatione* loquitur, sed de actuali constitutione, quæ non aliter fiebat, quam per cooptationem in Coëpiscopum. Ita iam hoc tempore coadiutoriæ ad successionem stabiliendam, quamuis bona fide, adhibitæ sunt.

§. X.

§. X. Videbatur talis coadiutoris constitutio canonibus aduersari, inde dispensatione præuia posthæc tempora fieri debebat, quæ tamen non a Pontifice Romano, sed a Primate petebatur, cui suberat coadiuuandus. Docet hoc exemplum Valerii, qui literis apud primatem Carthaginensem Aurelium egit, vt Augustinum successorem & coadiutorem sibi constituere integrum esset. Venia impetrata, demum electio sequebatur. Possidius *in vita August. c. 8.*

§. XI. Ipse Augustinus postea Eradium successorem constitui fecit, sed vt in coëpiscopum ordinaretur, admittere noluit, quia putauit, hoc nec contra canones, nec se hac in re peccaturum esse. Vid. *Epist. 110. August.*

§. XII. Hactenus tamen eo haud processerat infractio iuris antiqui, vt inuitis & non indigentibus daretur coadiutor, quæ tamen etiam pedetentim sese exseruit. Tentauit id Hilarius Arelatensis Episcopus, quod grauiter reprobauit Leo. *Ep. 89.* & in hunc finem ad Episcopum Viennensis prouinciæ scripsit. Thomass. *Part. II. de discipl. eccl. p. 502. §. 10.*

§. XIII. Quandoque etiam consultus fuit Episcopus Romanus, vt is quoque in hanc constitutionem coadiutoris consentiret, ceu factum est seculo V. quo in Hispania Me-

Metropolitanus cum Episcopis prouinciæ desuper consuluit Episcopum Rom. Hilarium, qui tamen decretum concilii prouincialis rescidit, ex hac ratione, *ne duo in vna ecclesia essent sacerdotes*.

§. XIV. Sed vtut Hispani dispensationem Papæ sollicitauerint, alia tamen consuetudo seruata est in Gallia, quippe quæ adhuc seculo IX. libertatem hanc constanter conseruauit, vt in Archiepiscoporum arbitrio totum hoc negotium positum esset, vt testatur Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. 6. c. 8. in fine*.

§. XV. Quin & regum consensus eo tempore sufficiebat, & sic Pontificis dispensatio non præcise necessaria erat, vti ex Adamo Bremensi probat *Ziegl. de Episc. lib. I. c. 15. in f.* præsertim cum electiones Episcoporum quoad maximam partem dependerent a regum arbitrio.

§. XVI. Occurrunt adhuc alia exempla quandoque Pontificum Romanorum consensum imploratum fuisse, sed non ab aliis, quam eius vicariis, quippe qui ab eo dependebant. Sic Augustinus in Anglia Pontificem eo nomine implorauit.

§. XVII. Ex his omnibus patet in coadiutoribus constituendis (1) non necessarium fuisse consensum præsulis Romani; (2) sed tantum Metropolitani (3) & Regis, (4) nec

inuitis datos eos fuisse, sed (5) poscente vtilitate ecclesiæ & postulante coadiuvando.

§. XVIII. Sed postquam præsul Romanus omne ius dispensandi, maxime circa beneficia maiora, sibi asseruit, non tantum eius auctoritate postmodum coadiutores dati, sed inuitis quoque & non indigentibus obtrusi, vt præcaueretur sedis vacantia, prout res hodie sese habere solet. Atque hoc ipsum tempore Innocentii III. iam in more positum fuit, quippe qui plura iura sedi Papali reseruauit, quæ alias a Metropolitanis dependebant.

§. XIX. Præter coadiutores alii vicarii olim incogniti erant. Clerici per se munia sacra obibant, præsertim postquam singuli vni officio tantum præessent, nec alii adhiberentur, quam qui tali officio sufficerent. Qui peregrinatione vel aliter impediti erant, vices suas quidem aliis demandabant, sed tantum ad tempus, non in perpetuum.

§. XX. Et quidem quod ad Episcopos attinet, illi prioribus tribus seculis vicariis non indigebant, circumsepti scilicet legitimo presbyterio, cui partem muneris sui imponebant, & quod absente Episcopo vices eius gerebat. Socrates *lib. I. H. E. c. 8.* Erat enim in singulis ecclesiis *consessus ordinis*

dinis ecclesiastici ex Presbyteris & Diaconis, qui subleuabant Episcopum in sacris, & eius auctoritate agebant, teste Tertull. *c. 7. de exhortat. ad castit.*

§. XXI. Et sicuti, crescente quotidie potestate Episcoporum, negotia crescebant, seque Episcopi post seculum III. variis causis secularibus, administrationi bonorum ecclesiasticorum, iurgiis & contentionibus totos dabant, ita segniores paulatim facti sunt in *officio proprio*, illudque per Presbyteros & Diaconos expedierunt. Inde exempla testantur Episcopos vices suas saepe vni alteriue ex Presbyteris commisisse.

§. XXII. Nam postquam omnem iurisdictionem ecclesiasticam occuparunt, nec tamen causis decidendis superesse possent, post seculum VI. *Archidiaconis* plura commiserunt, quod ex conciliis probatum dedit Thomassinus *P. I. de discipl. p.* 277. Quemadmodum enim Diaconi inseruiebant Episcopo & imprimis Archidiaconus a latere eius perpetuus esset, ita eueniebat, vt huic potissimum vices suas in plurimis delegaret.

§. XXIII. Inde hic *officialis* & *vicarius* Episcopi dictus fuit, qui iam sub imperio Caroli M. Synodis nomine Episcopi interfuit, visitationes ecclesiarum obiit, & iurisdictionem in reliquum Clerum nomine

Episcopi exercuit. Et cum hæc perpetuo plerumque eis delegaretur, tandem in morem abiit, vt Archidiaconi *iurisdictionem* exercerent, quæ postea *ordinaria* more & consuetudine facta, vt tamen Episcopus in caussis maioribus sibi reseruaret cognitionem. Inde ortum traxerunt *iudicia archidiaconalia*, quæ magnam olim habuere auctoritatem, vt omnis clerus eis esset subiectus. In Concilio Toletano *c. 3.* cautum est, *debere Archidiaconum omnem querimoniam seu causam vel iniustitiam presbytericam vel Diaconorum vel Subdiaconorum deliberate ordinare.* Conf. Stephan. Baluz. *ad Lupum epist. 80. p. 413.*

§. XXIV. Similiter cum inter Presbyteros is, qui ordine primus in consessu erat, reliquos antecederet, inde *Archipresbyter* dictus, huic postmodum Episcopus vices suas communiter demandabat in *sacris*, si abesse cogeretur. Liberatus *in Breuiar. c. 14.* Thomassinus *P. I. de discipl. eccl. p. 222.* Potissimum in agro Clericis præerant, & inspectionem in eos gerebant. Illa porro, quæ ordinis sunt, in absentia Episcopi agebant, missas legebant in ecclesia cathedrali, & prædicationibus, quæ olim Episcopis incumbebant, vacabant, & inde quoque *Vicarii Episcoporum ordinarii* vel *nati* facti sunt, præsertim postquam Episcopi officium

um *proprium* derelinquerent, & *alieno* vacarent, vel defidiofe agerent.

§. XXV. Atque hi *Archidiaconi* & *Archipresbyteri* per fecula fere decem tantum *generales officiales* & *vicarii* Episcoporum fuerunt. Sed feculis fequentibus maxime XIII. alii *vicarii generales fiue officiales* inftituti funt, qui omnem omnino poteftatem Episcopi reliquam exercerent in iurisdictionalibus & lege diœcefana, qui quidem ab initio mere ex arbitrio Episcoporum dependebant, fed poftmodum hoc quoque in morem perpetuum tranfiit, poftquam Archiepiscopi præfertim abeffe folerent, vt inde munus eorum *ordinarium* & *perpetuum* factum fit, faluo tamen iure Archidiaconorum.

§. XXVI. Inde *Confiftoria Episcoporum* funt orta, quibus præfunt hi officiales & iurisdictionem exercent, ad quæ datur appellatio a iudiciis Archidiaconorum. Nam vt olim ab horum iudiciis ad ipfum Episcopum appellabatur, quamdiu adhuc ipfimet caufis decidendis & audiendis vacarent, ita poftmodum ad Confiftoria Episcopalia, quibus præfunt officiales, appellatum eft.

§. XXVII. Hactenus de *vicariis* & *officialibus Episcoporum*, qui vicaria opera Episcopum fubleuarunt in munere proprio. Superfunt

sunt adhuc alii vicarii, qui Parochiis & ecclesiis nomine alterius præsunt. Hi post annum millesimum hac occasione orti sunt. Prohibitum erat antiquis canonibus, ne quis plura beneficia haberet, in quorum fraudem tamen variæ rationes inuentæ sunt. Nam (1) per modum *commendæ*, vt loquuntur plurimi parochias obtinuerunt, vt tantum vnam propriam habere viderentur ecclesiam, quasdam vero iure *commendationis*, quod permissum erat, quamdiu quædam ecclesiæ forsan vacarent. (2) per modum *vnionis*, quo plures parochiæ in vnum conflatæ sunt, ita vt cui hæc beneficia conferrentur, non plura sed vnum obtinere videretur.

§. XXVIII. Hac fraude in praxin deducta, necesse fuit, vicarios admittere, qui iis præessent ecclesiis, quas Rector principalis per se regere non posset. Inde factum, vt vicariis partem de tunica darent, reliquum reditum sibi reseruarent, & in morem stabilem iret, per vicarios praeesse ecclesiis vnitis vel commendatis, quales vicarii reuera *mercenarii* non *pastores* erant.

§. XXIX. Inde vicarii perpetui illarum ecclesiarum introducti sunt, quibus sua perpetua beneficia assignata, vt reliquum reditum is obtineret, qui vicarium instituit. Vnde etiam vicarius illas qualitates possidere debet, quæ in tali ministro requirun-

tur

tur, nec poteſt reuocari a præponente, cum inſtar *ordinarii paſtoris* ſit.

§. XXX. Similiter Canonicis per hæc tempora vicaria opera vti, in horis canonicis pſallendis, conceſſum eſt. Canonici olim in cathedralibus eccleſiis docebant & in Theologia & iure Canonico inſtruebant diſcipulos. Thomasſinus *de nov. & vet. eccleſ. diſcipl. P. 2. lib. I. c. 101.* Cum ergo non poſſent ſimul horis Canonicis pſallendis intereſſe, paulatim reſidentia illis relaxata eſt. Hoc facto per alios officium ſuum expedire coacti ſunt.

§. XXXI. Sed & aliis variis occaſionibus immunitatem a necesſitate reſidendi impetrauerunt, ita vt tandem in morem abierit, abeſſe ab eccleſia, & per *vicarios perpetuos* officium implere, & quamuis reſidendi necesſitas hinc inde reducta ſit, non tamen vicariorum opera ſublata eſt, ſed conſtanter durauit, adeo vt ne quidem præſentibus canonicis ceſſet, præſertim cum reſidentia ad breue tempus reſtricta & reuera inanis facta ſit.

CAP. XV.

DE ORIGINE CAPITVLORVM.

§. I.

SÆpe iam dictum est, per tria priora secula quamuis ecclesiam habuisse suum Episcopum & Clerum. Hic constabat ex *Presbyteris* & *Diaconis*, & collegium quoddam constituebat, siue consessum & synedrium, cui Episcopus præerat, vti plenius ostendi in *differt. VII. ad Tertull, & Plin. II.*

§. II. Hic consessus erat instar *senatus ecclesiastici*, Episcopo assidentis, qui eius caput siue præses erat, vt eius consilio ecclesiæ gubernarentur, & difficultates ingruentes explicarentur. Atque id ipsum *contrahere presbyterium* vocat Cyprianus in *epist. 49. p. 92.* Inde idem variis locis testatur, se causas grauiores non priuato iudicio, sed suffragio cleri, imo etiam plebis solere explicare. Hoc tamen cum discrimine, vt sæpe cum clero primum res communi consilio deliberationi subiicerentur, deinde etiam plebis iudicium desuper requireretur. Inde in *Concil. Antioch. c. I.* præesse ecclesiæ Episcopi, Presbyteri & Diaconi, & apud Socratem

Socratem *lib. I. H. E. c. 11.* coniunctim *constituere sacrum ordinem* dicuntur.

§. III. Mansit etiam hic consessus presbyterorum in Cathedralibus ecclesiis eo tempore, quo parochiales ecclesiæ erectæ sunt. His præficiebantur Parochi ex consessu ecclesiastico: ast in illa ecclesia, cui præerat Episcopus, nihilominus consessus ecclesiasticus supererat, episcopo tanquam senatus ecclesiasticus assistens, cui reliqui presbyteri & Diaconi ecclesiarum parochialium, Episcopo subiectarum, adiungebantur, quoties presbyterium contrahendum esset. Sic Siricius *epist. 2.* testatur in causa hæresium factum fuisse *presbyterium* siue collectum clerum & in consilium vocatum. Felix Papa hoc intuitu *epist. 4.* dicit, quod hi clerici vna secum *Apostolicum thronum regerent.*

§. IV. Sicuti vero Facultas iudiciaria apud Iudæos expediebatur per Synedrium h. e. consessum vid. *l. 6. de decret. ab ordin. faciend.* ita quoque similis quædam iudiciaria potestas exercita fuit, maxime æuo Tertulliani, ab Episcopo & clero, quo intuitu satis notanter Tertullianus *c. 7. de exhort. castit.* collegium hoc *consessum ordinis ecclesiastici* vocat, qui reuera tunc constituebat *capitula* ecclesiarum singularum.

§. V. Inde sede vacante in hoc collegium & consessum omnis gubernandi potestas recidebat, quæ potissimum in administratione sacrorum seu actibus ordinis, vti hodie loquuntur, consistebat. Constat id eleganti exemplo ex seculo II. petito. Post mortem Hygini sedis vacantia ad quadriennium fuit circa annum 126. per quod tempus collegium presbyterorum præfuit ecclesiæ Romanæ, vti, quæ acta sunt cum Marcione, testantur apud Epiphan. *hæres.* 42. Idem testatur Clerus Romanus *in epistola 30. ad Cyprianum.* Similiter seculo III. in absentia Episcopi Cypriani clerus rexit ecclesiam, ceu *epistola 5.* Cypriani docet, & Socrates *lib. I. c. 3.* confirmat.

§. VI. Videntur tamen mox quidam episcopi desciuisse a pristino more, & neglecto consilio cleri, pro auctoritate omnia disposuisse. Inde in Conciliis hoc correctum est, vti apparet ex Concilio Carthagin. IV. *c. 22. 23.* vbi cautum, vt Episcopus nihil *sine consensu Cleri* sui ageret, de quo non necesse fuisset disponere, nisi mos contrarius irrepsisset.

§. VII. Ita Clerus in singulis ecclesiis eo tempore *capitulum* constituebat, sine quo nihil disponebat in ecclesia episcopus. Quo intuitu Pseudo-Ignatius presbyteros vocat *Consiliarios episcopi, qui locum Synedrii*

Apo-

Apostolorum tenerent. & Hieronym. in *c.2.Esai.* ait: *& nos habemus senatum nostrum, cœtum presbyterorum.* Basilius *epist.* 319. vocat hunc cœtum *Synedrium presbyterii ciuitatensis*: nam ruri in parochiis tale deficiebat.

§. VII. Neque enim tantum, vti antea dixi, huic Synedrio assidebant Presbyteri ecclesiæ Cathedralis, sed etiam Parochi aliarum illius ciuitatis ecclesiarum, quia hi ex consessu ecclesiæ cathedralis illis ecclesiis minoribus præpositi erant, saluo tamen vinculo priori, quo in senatum admitti debuere: & hoc innuit Basilius verbis allegatis, vbi *Presbyteros ciuitatenses* vocat *Synedrium Presbyterii ciuitatensis.* Hanc ipsam rationem etiam retinuit Ecclesia Romana, prout indicat Innocentius I. *in epist. I. c.* 5. cuius verba *cap. III.* §. 7. adduxi, vnde tandem formatum est *corpus cardinalium.*

§. IIX. Hactenus tamen clerus ecclesiæ Cathedralis non vna viuebat, nec communi mensa vtebatur, sed separatim agebat, & ex reditibus ecclesiæ alebatur, sicut nec nomen *canonici* cognitum erat. Augustinus primus congregauit Clerum ecclesiæ cathedralis in communem vitam. Presbyter enim factus monasterium ex laicis in horto ecclesiæ erexit. Possidius *in vita August. c.* 5. Episcopus factus clerum ecclesiæ eodem modo collegit, vt in vna domo vitam cum ipso

ipſo communem ageret, quod nouum genus monaſterii eſſe videbatur. Vnde adhuc non raro eccleſiæ cathedrales vocantur Münſter. Hoc modo primitiuæ eccleſiæ mores redûcere tentauit, & enixe ſtuduit, ne ex clero quisquam proprii quid haberet.

§. IX. Erant in hoc conſortio clericorum Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi ſeu *clerus principalis eccleſiæ cathedralis*, & ita eo tempore inde in eccleſia Hipponenſi formatum eſt capitulum. vid. Auguſt. *ſerm. 50. apud Thomaſſin. de noua & vet. eccles. diſcipl. P. I. lib. III. c. 3.* §. 7. 8. vnde Clerici *regulares* orti ſunt.

§. X. Exemplum Auguſtini ſecuti ſunt certatim alii Epiſcopi, & clerum cathedralis eccleſiæ ſimiliter congregarunt, inde in ipſa ordinatione paupertatem & vitam hanc communem profiteri coacti ſunt. Plura hinc inde in conciliis de his conſortiis cauta ſunt. *Toletan. IV. c. 21. ſeqqv. Turon. II. c. 12. &c.*

§. XI. Vocabantur hi clerici eo tempore *Canonici*, & vita communis, *menſa canonica*. Nam *canon* vocabatur catalogus clericorum, quo inſerti erant, qui communem vitam agebant, & ſubinde ipſa portio, quæ vnicuique tradebatur ex eccleſiæ reditibus, eodem modo quoque ita dicebatur. Et hactenus

ca-

capitula in plurimis locis hoc modo erant ordinata, contra antiquum morem, quo vniuerſus ciuitatis clerus in conſortium ſenatus eccleſiaſtici ad miſſus erat.

§. XII. Sed Caroli M. temporibus Canonicorum appellatio immutata fuit. Eo tempore tales dicebantur, qui ſecundum canones vivebant, clericis præſcriptos, quia clericis omnibus hæc vita communis iniuncta fuit. vid. *Concil. Mogunt. de anno 813. c. 9.* Thomaſſ. *cit. l. p. 644.* §. 3. vnde *Monaſteria* tam *canonicorum* quum *monachorum* eo tempore occurrunt. Et quia Canonici nulla certa regula viuebant, Ludouicus Pius illam iis præſcripſit, ſecundum quam ad exemplum Monachorum viuerent Stephan. Baluz. *ad Lupum. p. 373.* Hoc monaſterium Canonicorũ, imo capitulum eccleſiæ cathedralis, in domo Epiſcopi erat; vid. *Concil. Turon. III. c. 23.* & huius cum Conſilio tanquam ſenatu eccleſiaſtico omnia epiſcopus peragebat, docente Thomaſſino *cit. l. p. 646.* §. 12.

§. XIII. Laxata poſt hæc tempora eſt diſciplina vitæ communis clericorum, adeo vt poſt annum milleſimum de eius reſtauratione cogitatum fuerit. vid. *Concil. Roman. de anno 1059. c. 4.* ſed non ſtatim in praxin deduci vbique potuit, vt oſtendit

ſuo

Iuo Carnot. *ep.* 218. propter, dissolutam clericorum vitam.

§. XIV. Inde inualuit distinctio inter Canonicos *regulares*, qui Augustini morem retinebant, & *seculares*, qui seorsim habitabant, proprietati non renunciabant, sed laxiori vitæ indulgebant. Quia tamen clerus ordinarius ecclesiæ cathedralis essent, in atrio ecclesiæ cathedralis ædes illis assignatæ sunt, vnde adhuc hodie supersunt die Domherrn Höffe. Interim ex illo instituto Augustini factum est, vt capitula tantum ex clero proprio ecclesiæ cathedralis constare inciperent, exclusis reliquis presbyteris ciuitatensibus. Cum enim illi communem vitam in domo Episcopi agerent, ad ipsos quoque pedetentim ius capituli solitarie deuolutum est, & inde quoque ius eligendi priuatiue sibi vindicarunt, prout hodierna praxis testatur.

CAPVT XVI.

DE ORIGINE MILITIAE SACRAE.

§. I.

Spes recuperandæ terræ sanctæ, & hostes Christiani nominis profligandi desideri-

rium, ſimulque innata opinio de bellis Domini gerendis multas ſocietates conciliavit, quas vulgo *ordines militiæ ſacræ* vocant, quæ ſpecialibus diſtinguuntur nominibus. Inſigne incrementum inde acceperunt, quod pontifex videret, ſuæ potentiæ ingens incrementum ex his ſocietatibus ſacris vel quaſi accedere.

§. II. Hoc præmittendum eſt, peregrinationes in terram ſanctam fuiſſe admodum frequentes, maxime ad ſepulcrum Chriſti inſtitutas, a Saracenis tamen admodum impeditas, quippe qui Palæſtinam occupauerant, quam ſui iuris eſſe ex inepta opinione Chriſtiani crediderunt. Pontifices promouebant hoc inſtitutum, quod ſibi maxime commodum fore arbitrabantur, vt, potentioribus in exteras terras miſſis, domi eo magis poteſtatem ſuam ſtabilire poſſent,

§. III. Itaque Urbanus circa finem ſeculi XI. indicto concilio Clarimontano expeditionem in terram ſanctam indixit, & omnibus commendauit pro recuperanda terra ſancta; illisque crucem pro ſigno dedit. Verum Vrbanus II. cui Romæ conſiſtere negatum, quippe quam Clemens III. Antipapa tenebat, hanc ipſam expeditionem eo conſilio vrſit, vt eo facilius citromontanos in ſui reuerentiam conuerteret & Romæ auctoritatem conſequeretur. Inde hi, qui

hanc

hanc expeditionem susceperunt, *equites cruciati* Creutz-Herren dicti, qui sese in certas leges obstrinxere, vt eo firmius vinculum inter eos esset. vid. Becmann *in Syntagma dign. p.* 1440. Mornæus *in myster. iniquit. p.* 263. *seqq.* Ipsæ expeditiones describuntur plenius in *tract. de gestis Dei per Francos seu Oriental. expedit. & Regni Francorum Hierosolym. historia.*

§. IV. Hæ expeditiones & peregrinationes in terram sanctam tres pepererunt ordines. Iam antea, qui negotiationis vel deuotionis gratia in terram sanctam peregrinabantur, a principe Ægypti impetrauerant facultatem prope sepulchrum Christi templum in honorem B. Mariæ Virginis extruendi, cui additum est cœnobium *S. Mariæ de Latina*, ab Abbate & Monachis inhabitatum. Crescente peregrinorum numero Abbas cum Monachis Hospitale condidit, adiuncta capella in honorem S. Iohannis, pro excipiendis & curandis infirmis & egenis peregrinantibus, qui ex eleemosynis peregrinantium viuebant. Capta Hierosolyma, Gerardus quidam nobilis, qui hactenus in hospitali pauperibus & infirmis ministrauerat, adiunxit sibi nonnullos alios, & cum iis religiosam vitam suscepit, hac intentione, vt hac in religiosa societate infirmis & pauperibus peregrinantibus succurre-

reret, & ita ordo hic ab initio *monasticus*, non *militaris* fuit, sub Abbatis *S. Mariæ de Latina* directione constitutus. Cum vero postea in suam fraternitatem admitterent milites expeditionem in terram sanctam facientes, ordo totus *militaris* factus, & defensionem terræ sanctæ contra Saracenos pro scopo habere incepit. Ipsi milites inde dicti sunt *hospitalarii* vel *Ioannitici*. Vid. Jacob de Vitriaco *lib. I. de histor. Hierosolym.* Auberti Miræi *origines equestr. siue militarium ordin.*

§. V. Simili occasione eodem fere tempore inualuit *ordo Teutonicus*, cuius fratres eodem modo ab initio peregrinos infirmos & expeditionem facientes Germanos suscipiebant, & erga eos quæuis charitatis opera exercebant. Cum enim Germani potissimum superstitiose ingenti multitudine in terram sanctam contenderent, & acerrime cum Saracenis confligerent, præsertim in oppugnatione Ptolemaidis, plures se coniunxere, qui sauciis & ægris militibus succurrerent, quorum pietas vel misericordia mox adeo approbata fuit, vt noui ordinis initium inde sumeretur, Friderico Duce Sueuiæ & Henrico Brabantiæ institutum sedulo promouentibus. In *Chron. S. Ægidii* apud Illustr. Leibnit. *inscript. Brunsuic. P. II. p. 586.* dicitur; *sub hoc Papa Innocentio III. & tempore Henrici Imperatoris cœpit in Acean ordo*

 fra-

fratrum Teutonicæ domus. Possidebant Hierosolymis domum hospitalem, *Mariæ* dicatam, vnde quoque nonnunquam nominantur. Ad petitionem Henrici VI. Cœlestinus III. hunc ordinem confirmauit, alba veste cum nigra cruce iis concessa, & S. Augustini regula iis præscripta. Non substitit hic ordo in votis Monasticis, sed rei militari mox operam strenuam dare cœpit. Jacob de Vitriaco *histor. Hierosolym. c.* 66.

§. VI. Denique *Templarii* quoque circa annum 1118. exstiterunt, qui in militiæ religiosæ professione aliis præiuere, & inde sine dubio Hospitalarii quoque eorum exemplo militiæ sacræ, vt vocant, incubuerunt. Rem succincte refert Gerardus Dubois *in histor. eccles. Paris. P. II. lib. XIII. p.* 104. his verbis: *Ea ferme tempestate quidam nobiles, quos equites seu milites vocitabant, nouis quibusdam institutis se vitamque suam, approbante patriarcho Guaremundo, qui Arnulpho successerat, devouerunt. Ii castos se & continentes fore Deo spoponderunt, sui & propriæ voluntatis spontaneam abnegationem professi; sed & instar Monachorum abiecta propria bonorum possessione acturos se vitam in communi solemni voto adstrinxerunt. Hoc vero sibi peculiare ac proprium sumserunt, quod vias & itinera maxime ad salutem peregrinorum contra latronum & insidiantium insidias pro viribus conseruarent: & quoniam prope templum Dei ædes primum habuerunt,*

runt, fratres militiæ templi dicti sunt. *Hanc nouam institutionem nouem exorsi sunt, sed postmodum tam equitum, quam seruientium numerus in immensum excreuit, opum vero & facultatum ea copia fuit, vt pares Regibus possessiones habere dicerentur.* Nouus hic ordo in Concilio Trecensi, anno 1128. celebrato, confirmatus est sub regula Bernardi, cuius rationem plenius referunt Centuriatores *Centur. XII, c, 6, p. 393. edit. Basil.*

§. VII. Similiter anno 1205, *ordo equestris Ensiferorum* coiuit, auctoritate Innocentii III. quibus causam ecclesiæ Liuonicæ commendauit, de quo ordine speciali dissertatione agit Schurzfleischius. Sed hi gentiles, Liuoniam finitimasque terras incolentes, non repellere, sed plane subigere, imo penitus extirpare studuerunt, vt ita terras eorum sui iuris facerent, sibique appropriarent, quo ipso potentia eorum admodum aucta est.

§. IIX. Quod priores ordines concernit, constat, eos primum ex Monachatu quodam natos, & inde factum esse vt milites quoque se ad tria illa vota adstringerent, & a Pontifice post confirmationem acciperent, vt sub regula certa viuerent. Varia iis fortuna cum Saracenis fuit, quos tamen, vt propositum erat, expellere & penitus delere non potuerunt, imo tandem ipsimet

expulsi & nouas quærere sedes coacti sunt. Nam Joannitici ordinis equites a Saracenis fugati anno 1309. Cyprum incoluerunt, paulo post insulam Rhodis occuparunt, & vltra seculum eam tenuerunt, donec tandem inde quoque pulsi & alibi migrare coacti fuerint, quo factum, vt gratia Caroli V. anno 1530. insula Maltha eis obuenerit.

§. IX. Similiter templarii quoque a Turcis fugati in Galliam secesserunt, ibique ingentes diuitias acquisiuerunt, quamuis in Hispania alibique etiam sedes suas habuerint. Sed infelicissimum exitum ordo habuit, postquam insidiis Philippi pulchri & Clementis V. funditus deletus est. vid. Dubois *hist. eccles. Paris. Lib. XVII. c. 5.* qui tamen strenue Gallorum causam agit.

§. X. Vt fraternitates certo ordine regerentur, elegerunt ordinis præfectum, quem *magistrum ordinis* dixerunt, quemadmodum adhuc hodie der hoch und teutsch-Meister in Germania notus est. Primus magister fuit Henricus de Waldpott. Huic ordini addicti, postquam a Saracenis fugati sunt, in Germaniam secesserunt anno 1229. sub Magistro suo Hermanno de Salza.

§. XI. Ab hoc tempore varias expeditiones susceperunt, præsertim in Prussiam & Liuoniam. Cum his postmodum coalue-

runt

runt ensiferi in vnum corpus, vt magister ordinis huius sub magistro ordinis Teutonici esset. Inde potentia eorum adeo aucta est, vt varia bella cum Polonis gesserint, donec tandem magister ordinis sedem perpetuam Mergentheimi designauerit, & status Imperii factus sit.

§. XII. Sicuti itaque hi ordines potissimum militiæ gratia coaluerunt, ita variis officialibus instructi sunt, prout res bellica postulauit. Sic in ordine Teutonico proceres fuerunt der Groß-Commenthur / der Oberste Marschal / der Oberste Spittler / der Drappierer / der Tresorirer / quorum officia varia fuerunt. vid. Europ. Heerhold *P. I. p. 334. seqq.*

§. XIII. Erant præterea ordini huic amplissima bona in prouinciis variis dispersa, inde quoque iuxta prouincias, quas *Balliuias* vocant, ea distinxerunt. Hisce præsunt commendatores prouinciales, die Land-Comther / quasi vices magistri ibi gerentes, sub quibus sunt Commendatores die schlechten Comther. Cætera quæ ad ordinem ipsum pertinent, succincte tradidi ad Schilterum. *lib. I. Cap. XII.*

CAP. XVII.

De ORIGINE IVRIS PATRONATVS.

§. I.

IVS PATRONATVS, quo laici in ecclesiis, quas fundarunt, dotarunt vel exstruxere, pastores constituunt, antiquissimum est institutum. Sed per tria priora secula incognitum, quippe quo nec templa cognita erant. Ast Seculo IV. ex Constantini gratia templis exstructis, huius iuris vestigia mox apparuerunt.

§. II. Interim cum hoc ius occasione exstructionis templorum ortum sit, facile iudicari potest, non demum inter Christianos illud natum esse, sed etiam inter Gentiles obtinuisse, vtpote qui sua etiam templa habebant. Constat enim Gentiles quoque suo arbitratu constituere potuisse templa, eisque praeposuisse sacerdotes. Unde non negat Franciscus du Roi *de iure Patron. in proleg. c. 2. p. 5.* ius patronatus inde innotuisse.

§. III. Quemadmodum itaque hoc ius iam satis decantatum notumque erat, ita

post-

postquam vsus templorum inter Christianos inualescere cepit, iura quoque circa templa vsitata a Christianis retenta & vsu fori approbata sunt. Et inde fundatoribus templorum denegari non potuit ius praesciendi ecclesiae clericos.

§. IV. Equidem in vrbibus exstruebantur templa, sumtu publico vel Imperatorum, & ita iuris patronatus exempla in vrbibus non adeo occurrunt. Sed in agris & villis priuati solebant Oratoria exstruere, imo maxime ad hoc admonebantur, vti constat ex Chrysostomi *Homil. 18. in Acta*, vbi ita: *Fora quidem & balnea faciunt multi, ecclesias autem non item, & omnia magis, quam has. Ideo oro & supplico & gratiam peto, imo & legem pono, vt nullus qui habeat villam, appareat carere ecclesia.*

§. V. Hoc modo instigati laici ad exstructionem templorum in agris, facile ius illud sibi vindicarunt, quod iam olim templorum aedificatoribus indultum erat. Et hoc Chrysostomus *cit. l.* iam supponit, nec aliquod dubium ea de re suggerit. Ita enim: *Educa magistrum, educa Diaconum & sacerdotalem ordinem; quasi vxore ducta dotem adscribe. Quid non erit illic bonorum &c. -- Parumne est in sanctis oblationibus nomen tuum semper offerri?*

§. VI. Ex his verbis patet, patroni nomen precibus fuisse Deo commendatum, quod & adhuc hodie fieri solet. Praeterea etiam sub initium Seculi V. nomina fundatorum ecclesiae dyptichis fuere inscripta, vti refert Paulinus *ep.* 10. & 12.

§. VII. Circa idem tempus quoque ius praesentandi iam fundatori concessum fuit, vti apparet ex Concil. Arausicano I. anno 441. celebrato, vbi *c. 10.* episcopo aedificatori haec gratia permittitur, vt possit in ecclesia constituere clericos, ordinandos ab episcopo dioeceseos. Quamuis vero Canon de *Episcopo aedificatore* loquatur, ad hunc tamen solum haud debet restringi, id quod totus contextus ostendit. Ideo enim de episcopo formatus est canon, quia dubitatum fuit, annon in alieno aedificans possit ordinare clericos? quod negatur.

§. IIX. Qui ex *Can.* 10. *Concil. Tolet. I.* quod anno 400. celebratum est, probationem deducunt, errant, quia *cit. can.* non de *patrono ecclesiastico*, sed de tali, qui aliquem manumisit, loquitur.

§. IX. Sane Seculo VI. aeuo Iustiniani iam satis notum erat hoc ius patronatus, quod proinde ipse Imperator variis locis repetit & confirmat. *L. 46. C. de SS. eccles. Nov.* 57. *c. 2.* Imo *Nov.* 123. *c. 18.* diserte etiam heredum mentionem facit.

§. X.

§. X. Patet ex his textibus, constitutos fuisse pastores ecclesiis a Patronis, ab Episcopo tamen prius examinandos, & excutiendos, vt appareret, an digni essent. Inde *praesentatio* originem traxit. Post approbationem autem ordinabatur ab Episcopo, vti constat ex *Concil. Tolet. IX.* quem canonem refert Gratianus *c. 32. c. 16. q. 7.* vt ita Episcopo examen cum ordinatione tantum reseruatum esset.

§. XI. Reuera ergo habebant olim *collationem ecclesiarum* Patroni, quia ordinatione non conferebatur ecclesia, sed tantum Presbyterii ordo, seu dignitas ecclesiastica. Verum ne viderentur laici aliquid spirituale conferri, postea *institutio* inuenta est, qua mediante Episcopus dicitur *conferre ecclesiam praesentato*, vt Patronus tantum *designet* personam, quam Episcopus *instituere* & *ordinare* debeat. Inde natales accepit suos *institutio*. Pertinet huc canon 30. Concil. Auenionensis anno 1326. celebrati apud Cabassutium *in notit. eccles. p. 512.*

§. XII. Quin in tantum collatio ecclesiarum patronis circa seculum VIII. propria erat, vt etiam parochos deponere possent, modo rursus id fieret cum consensu Episcopi, vti docet *c. 4. Concilii Arelatensis VI.* anno 813. celebrati Thomass. *P. II. p. 78.* Sed hoc

Cc 5 ius

ius postea rursus iis plane denegatum est.

§. XIII. Præterea quoque Patronis cura in res ecclesiasticas competere debuit, vtpote quæ ab ipsis processerant, quæ etiam iis variis in conciliis confirmata est, vt imprimis Concilio Toletano IX. apud Gratianum *c. 31. 16. q. 7.*

CAP. XVIII.

De ORIGINE MONACHATVS ET MONASTERIORVM.

§. I.

MONACHATVS ratione suæ originis consistit in *vita solitaria*, id quod ipsa vox indicat, adeoque non eo modo olim sese habuit, vti quidem hodie constitutus est. Præterea vota monastica olim erant incognita, neque Monachi ad hanc vitam in perpetuum colendam adstringebantur, sed pro lubitu illa deseri poterat.

§. II. Neque tantum apud Christianos *vita solitaria* obtinuisse videtur, sed etiam apud gentiles, qui *solitariam vitam* singularem excolebant, vt eo magis ab illecebris mundi intacti seruarentur, quo intuitu hæc vita dicta fuit *philosophica*. Sic de Narcisso se-

feculo III. teftatur Eufebius *lib. 6. Hift. Eccl. c. 9. quod philofophicæ vitæ iam dudum amore captus, relicta ecclefiæ plebe, in folitudine ac deviis agris plurimos annos delituerit.* Sed poftea tamen rurfus rediit ad ecclefiam, vbi *c. 10.* addit: *Quippe vniuerfi multo magis eum mirabantur, tum ob feceffum, tum ob philofophicam viuendi rationem.*

§. III. Furor perfecutionum grauiffimarum multos quoque Chriftianos adegit, vt fecederent in loca deferta & vitam agerent folitariam. Sic de perfecutione Decii Eufebius *lib. 6. c. 42.* hæc refert: *quid opus eft commemorare multitudinem eorum, qui in montes & per folitudinem oberrantes fame, frigore, morbis & latronum aut beftiarum incurfu oppreffi interiere?* Similia de Gregorio Thaumaturgo refert Gregorius Nyffenus, quem locum integrum refert Korthold in *obtrect. pagan. p. 347.* Nec negat Sozomenus *lib. I. c. 12. in f.* perfecutiones huic vitæ philofophicæ occafionem præbuiffe.

§. IV. Inter eos, qui hoc philofophicæ vitæ genus excoluerunt, potisfimum laudantur Antonius & Paulus, quorum mores & vitam plenius defcribunt Sozomenus *lib. I. c. 13.* & Hieronymus in *vita Pauli* apud Korthold *in pagan. obtrect. p. 334.* qui duo viri ex perfecutione Decii hanc vitam amplexi funt. Per idem tempus etiam Ammon ce-

le-

lebratur apud Sozomenum *lib. I. c. 14.* & Socratem *lib. II. c. 23.* Atque hi quidem in Ægypto. Sed in Palæstina prædicatur ab Hieronymo Hilarion *in vita Pauli.* vid. Thomass. *P. I. de discipl. eccles. p. 664.*

§. V. Interim hoc seculo III. adhuc incognita erant *monasteria*, quæ demum exstructa sunt seculo IV. pace ecclesiæ reddita; & quidem plerumque in agris & suburbiis. Athanasius primum in Italia hoc vitæ genus induxisse legitur, quod tantum in Oriente hactenus viguerat, quamuis id ipsum *ignominiosum* in Italia putaretur. vid. Hieronym. *in Epitaph. Marcell.*

§. VI. Ab initio tamen monasteria tantum in vsum viduarum & virginum exstructa videntur, quippe quibus adeo integrum non fuit in solitudine vagari, vti quidem masculis. Vnde in locis præadductis tantum referuntur *monasteria virginum & viduarum*, nec tamen legimus, eas voto aliquo obstrictas fuisse, sed tantum propositum Deo seruiendi per totam vitam suscepisse. Verum paulo post in historiis etiam occurrunt *monasteria virorum*, qui remoti a consortio hominum, quamuis coniunctim, viuebant; interim in vrbibus hæc non ædificabantur, quia id ipsum a primo instituto alienum esse videbatur.

§. VII.

§. VII. Patet quoque exinde, Monachos meros *laicos* fuisse, clericorum ordini haud addictos. Propositum eorum haud fuit, vt ecclesiæ seruirent, sed vt mundo quasi renunciarent, & vitam innocentem & puram degerent. Imprimis mores primorum Christianorum imitari studebant, quibus omnia erant communia, adeo vt quidam asseruerint, inde vitam monasticam originem traxisse, quod tamen falsum est, vid. Cassianus *in Collat. 18. c. 5.* apud Nat. Alex. *Tom. IV. p. 87.* Inde post monasteria dicta sunt *cœnobia*, quasi *vita communis.* Quin etiam *conuersi* dicti sunt, qui monasterium ingrediuntur, quod puriorem vitam agere viderentur vel crederentur.

§. VIII. Et hactenus vnum idemque genus erat Monachorum. Vt vero primi illi Antonius, Paulus & Hilarion rursus in eodem vitæ genere discipulos instituerunt, & quasi scholas quasdam aperuerunt, ita quoque successores in monasteriis rursus discipulos quosdam in sanctimonia instruxerunt, vt monasteria paulatim redirent in genus quoddam scholarum, & inde forsan factum est, vt paulatim in vrbibus quoque conderentur. Vid. Natal. Alexand. *Tom. IV. p. 89.* §. 4.

§. IX. Plerumque autem hi, qui aliquo in loco monasticam vitam instituebant, di-

sci-

ſcipulis ſuis certas formulas præſcribebant, ad quas vitam componerent ſuam, quæ ſecundum cuiusque fundatoris temperamentum vel *reſtrictiores* vel *laxiores* erant. Tales ſunt, quas Macarius Pachomius præſcripſit. Similiter Baſilius, in Cappadocia Monachorum parens, leges & regulas iis præſcripſit, cuius inſtitutum per totum orientem propagatum eſt. Idem de Euſtatio, Sebaſtii in Armenia Epiſcopo, tradit Sozomenus *lib. III. c. 14.* vbi non negat, *præ nimia ſeueritate eum aliquando ad abſurdas prolapſum eſſe obſeruationes.*

§. X. Interim non omnes vbique Monachi monaſteriis incluſi erant ſub ſuo Abbate vel præpoſito, ſed quidam adhuc in ſolitudine commorabantur, qui *Anachoretæ* dicti ſunt. Tam cœnobitarum, quam horum mores & diſciplinam deſcribit Hieronymus *in Epiſt. ad Euſtachium de cuſtodia virginit.*, ex quibus quidem apparet, quod ſine proprietate, continenter & ſub obedientia præpoſitorum vixerint, ſed quod ad hæc per vota adſtricti fuerint, non conſtat. Regulas viuendi adſtrictisſimas fuiſſe inde cognoſcimus, quod crederent, per regulas poſſe pietatem conſeruari & propagari. Conf. Sozom. *lib. III. c. 14.*

§. XI. Interim non otiabantur Monachi, tantum orantes, ſed manibus ſuis operaban-

bantur, vti Hieronym. *ad Rustic.* de Monachis Ægypti refert, quo ipso sibi victum parabant necessarium, cum eo tempore monasteria tot reditibus non essent instructa, vt quidem hodie. Socrates *lib. IV. c. 23.* Sozomenus *lib. VI. c. 28.* Neque vti hodie, inter se in minori sed satis magna copia viuebant, vt sæpe vltra millia numerus eorum se extenderet.

§. XII. Cum itaque Monachi tam rigidam colerent vitam, reliquisque omnibus exemplo suo prælucerent, mox inualuit, vt ex monasteriis eligerentur, qui ecclesiis præessent, vti testatur Siricius *Epist. I.* Inde Presbyteri & Episcopi ex iis electi sunt, quemadmodum etiam Augustinus postmodum vitam monasticam ad clerum retulit, quo ipso tandem Monachi in classem *clericorum vel quasi* relati, & Episcopis subesse cœperunt. Conf. *Nov. 6. c. 1.*

§. XIII. Sed hoc modo res, quæ ad bonum finem inuenta videbatur, in ecclesiæ damnum variis modis cessit. Nam (1) quia ingens eorum numerus erat, facile Episcopi dominatum ambientes eorum ope quævis audere poterant. Sane Cyrillus ope 500. Monachorum contra Præfectum Alexandrinum vsus est, teste Socrate *lib. 7. c. 13. 14.* sicuti etiam Synodis nonnunquam

vim

vim fecerunt. (2) Accessit seculo VI. ex Benedicti instituto nouum vinculum trium votorum, quo postea obstringebantur Monachi, vti refert Polydorus Virgil. *lib.* 7. *c.* 2. quo ipso vita monastica magis magisque in seruitutem quandam & cœcam obedientiam degenerauit, ex qua non potuit non corruptio totius christianismi sequi.

§. XIV. Nihilominus tamen vita eorum colorem singularis sanctitatis habebat, id quod seculis sequentibus plures excitauit, vt monasteria extruerent, eaque bonis amplissimis instruerent. Et quia vita monastica sæpe degenerabat, quidam ex zelo quodam noua ratione vitam monasticam adornarunt, ex quo tandem tot ortæ monachorum species, quæ suis regulis diuersis viuunt, & quarum singularum ortus & progressus prolixam requirunt enarrationem, quæ hic subiici nequit, vtpote cum tantum summa capita rerum præcipuarum referre constituerim.

CAP.

CAP. XIX.

De
ORIGINE LEGVM ECCLESIASTICARVM.

§. I.

LEGES ecclesiasticæ primario originem suam trahunt a *canonibus*, qui demum in Conciliis conditi fuere; cum vero rara admodum concilia primis temporibus & fere nulli canones scripti ibi fuerint circa disciplinam ecclesiasticam, rara admodum exempla legum ecclesiasticarum scriptarum per duo priora secula occurrunt.

§. II. Equidem Apostoli plurima in ecclesiis, quas plantarunt, ordinis gratia constituerunt, non quod legislatores essent, sed quod tanquam Doctores diuinitus missi, omnium saluti prospicerent, simulque scirent, fideles monita eorum Apostolica amplexuros esse. Plura etiam in epistolis adhuc supersunt, vt imprimis ad Timotheum, Titum, ad Corinthios, in quibus Paulus passim præscripsit ordinem seruandum circa agapas, docendum, collectas, ordinationem &c. Imo credibile est, hos, qui ecclesias plantarunt, illis quædam ordinis gratia præscripsisse.

§. III. Quia tamen Apostolorum scopus primarius non fuit, leges condere, & regiam exercere potestatem, sed quæ ad pietatem faciebant, instillare, etiam de his primario in suis epistolis egerunt, & singulis cœtibus hanc libertatem reliquerunt, vt, quæ ad ordinem & decorum facerent, ipsi possent adornare, *1 Cor. XIV. v. 40.* præsertim cum etiam in aliis negotiis ecclesiarum, consensum requirerent. Erant ecclesiæ collegia æqualia, & ita conueniens videbatur, vt omnium consensu vel *expresso* vel *tacito* reciperetur, quicquid ad ordinem ecclesiæ conduceret.

§. IV. Sicuti vero *cap. IV. de Origine Synodorum* dictum est, Synodum ab initio nihil aliud fuisse, quam *plurium ecclesiarum concilium*, ita conueniens vtique erat, vt, quicquid in his conciliis esset communi consensu constitutum, eos ligaret, iisque in ecclesiis obseruaretur, quæ Synodo intererant. Delegati enim ad Synodum nomine totius ecclesiæ mittebantur, & ita nomine eius decernebant.

§. V. Sed circa finem seculi II. decreta conciliorum etiam aliis obtrusa fuisse videntur, iure licet omni refragante. Apparuit hoc ipsum in controuersia de festo paschatos, qua mota, plures Synodi hinc inde collectæ sunt, de quibus Euseb. *lib. V.*

c. 23.

c. 23. hæc tradit: *Atque omnes vno consensu ecclesiasticam regulam vniuersis fidelibus per epistolas tradiderunt, ne videlicet vllo alio quam dominico die mysterium resurrectionis Domini vnquam celebretur* &c. Imo in tantum processit Victor, Romanus Episcopus, vt cum Asiæ minoris ecclesiæ hanc *ecclesiæ regulam* recipere nollent, sed in more pristino subsisterent, eas a communione abscinderet, quod hactenus inauditum erat.

§. V. Non tamen statim hæc insolita praxis vbique introduci potuit, præsertim cum reliqui Episcopi contradicerent, nec ab Episcopo Romano Leges accipere vellent. Seculo III. tamen ipsimet Episcopi, vtpote etiam magna præditi potestate & sacerdotium affectantes, pleraque pro suo arbitrio in ecclesia disponere ceperunt, vti non diffitetur Cyprianus *epist. 55.* Vestigia tamen quædam pristinæ libertatis plebi relicta sunt, vtpote quæ in causis maioribus decernendis etiam admissa fuit, veluti si circa disciplinam ecclesiasticam dubia moverentur. vid. *Differt. ad Plin. II. p. 149. & p. 157.* ipsa tamen directione penes Episcopum remanente.

§. VII. Hæc directio, quæ Episcopis in huiusmodi negotiis competebat, paulatim in quandam *iurisdictionem* degenerauit, inde etiam Episcopi *legislatoriam potestatem* affe-

ctauerunt, quamuis non vno impetu, sed per varios temporum gradus ad hanc peruenerint *αὐτονομίαν*. Seculo enim III. & IV. quoties de caussis ecclesiæ dubium exsurgeret, relationes ad alios Episcopos instituerunt, eorumque consilia expetierunt.

§. VIII. Imprimis vero hæ relationes dirigebantur ad Episcopum Romanum, cuius auctoritas maxima erat, interim tamen non ad eum solum, sed ad alios quoque magnæ auctoritatis Episcopos. Et quidem responsa eorum, quæ *decreta* vocabantur, non habebant auctoritatem canonis, sed tantum probabilitatem ad instar responsorum iuris, quamuis ex postfacto, potestate Pontificis Romani aucta, in codicem canonum relata fuerint, ex quo tempore per modum LL. ecclesiasticarum valere ceperunt.

§. IX. Consulebantur autem imprimis Episcopi Romani aliique de *consuetudinibus ecclesiæ* dubiis; paucæ per tria priora secula *leges scriptæ* erant, sed ecclesiæ iure non scripto regebantur, maxime quoad negotia ecclesias ipsas inter se concernentia; inde hæ sæpissime vel in dubium vocatæ, vel in alium sensum detortæ sunt. Hoc intuitu pro *traditionum* vigore certare ceperunt, cum quilibet suos mores per illam probare conaretur &c.

§. X.

§. X. Ortæ ſunt hæ *conſuetudines eccleſiaſticæ* variis ex occaſionibus; multæ ex *iudaicis inſtitutis* retentæ, plura ex *auctoritate Epiſcoporum* inualuerunt, plura etiam ex *ciuili reipubl. diſpoſitione* in eccleſiam tranſierunt, quorſum refero conſtitutionem prouinciarum eccleſiaſticarum, Epiſcoporum quorundam ſingularem auctoritatem &c.

§. XI. Prouocat Baſilius in *c. 5. D. II.* ad has conſuetudines eccleſiaſticas, easque *vim legis* habere oſtendit, quia in tantum valebant, vt etiam *canonis* nomen obtinerent. Vid. Euſeb. *lib. VI. c. 34.*

§. XII. Vbi æmulatio, ſtudium rixandi & ambitio inuaſerunt Epiſcopos, ceperunt de conſuetudinibus eccleſiæ diſputare, quæ diſputationes anſam dederunt, variis conciliis, quibus *ſcripti canones* conditi ſunt, vnde in conciliis non tam noui canones conditi, quam conſuetudo eccleſiæ in dubium vocata determinata eſt.

§. XIII. Inde Seculo IV. ſtudium canonum ſcriptorum potiſſimum apparuit, vtpote quod ſeculum contentionibus refertisſimum fuit. Et cum ſtatus eccleſiæ paulisper in *ciuilem* declinaret, noua circa ſtatum eccleſiæ plura ſunt condita, quæ nec impediebantur ab Imperatoribus, vtpote quibus Epiſcopi perſuadebant, negotia eccle-

ſiaſtica ab Epiſcopis in conciliis eſſe determinanda. Adeo enim Conſtantinus Epiſcopis indulſit, vt nequidem eos iudicare vellet, Ruffinus *lib. I. Hiſtor. Eccleſ. c. 2.* & contentiones inter Athanaſium & Euſebium reiiceret ad concilia vel iudices eccleſiaſticos. Imo quando Imperatores leges condiderunt, magis canones eccleſiaſticos confirmarunt, vel ſuaſu cleri eos fecerunt.

§. XIV. Sed maiorem obtinuere auctoritatem canones ſcripti per *collectiones* varias, quibus factum, vt ad codices hos tanquam ius quoddam eccleſiæ proprium provocarent in conciliis. Vid. *Acta Concilii Chalcedonenſis*. Collectionum harum hiſtoriam plenius tradunt Maſtricht, Ziegler aliique.

Cap. XX.

DE ORIGINE IVRISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.

§. I.

Sicuti eccleſia non conſtituebat in ſua primæua ſimplicitate rempublicam aut ſtatum ciuilem, ſed in republica erat eiusque pace fruebatur; ita nullum Imperium,

um, nullam iurisdictionem sibi vindicare potuit, sed ipsi Apostoli profitebantur, se tantum *Ministros* & *Doctores* esse, quod eleganter exponit Isidorus Pelusiota *lib. III. epist. 216.*

§. II. Docet totus euangeliorum contextus & harmonia, Saluatorem Apostolos ab omni imperio voluisse esse alienos. *Matth. XIIX, 1. XX, 21. seqq. Marc. IX, 34. Luc. IX, 46.* Imo ipsi Apostoli id quoque reapse demonstrarunt, vti acta docent. Petrus ipse *1 Epist. V.* dominatum dissuadet & *Ioh. ep. III. 9.* πρωτοκαθεδρίαν Diotrephes improbat. Cessante autem imperio, cessat omnis iurisdictio proprie dicta, quia hæc per modum *imperii* exercetur.

§. III. Æqualitatem summam semper vbique obseruarunt Apostoli, nec christianos *subditos*, sed *fratres* dixere, eosque ad rerum ecclesiasticarum determinationem admiserunt, prout ratio huius societatis postulabat. Et quamuis Apostolis claues cœli essent concrediti, nouerant tamen, eis non per modum *imperii* vtendum esse, sed tantum *disciplinæ* & *doctrinæ*, imo & hoc nouerant, *claues cœli* nullum imperium, nullam iurisdictionem inuoluere.

§. IV. Quemadmodum vero cuilibet collegio integrum est, directionem negotiorum cuidam committere, & de rebus ad collegium spectantibus cognoscere, ita quoque

§. VI. Zegerus Bernhardus ab Espen. *in iur. eccl. p. III. tit. 1. c. 1. §. 1. seqq.* & Samuel Basnage *diss. de tribunal. eccles.* aliique inde recte deducunt morem antiquum ecclesiasticum, secundum quem Episcopi *audientiam episcopalem* exercebant, tanquam *arbitri* quidam *iuris* in caussis ciuilibus, quæ licet iis per Cæsares confirmata fuerit, paulatim tamen in vsu esse desiit, nisi quod in clericos reseruata fuerit. Sed inde *iurisdictionis ecclesiasticæ* natales, quæ in negotiis, ecclesiam concernentibus, exercetur, non repetendi, quippe quæ ab initio episcopis haud propria, sed toti ecclesiæ communis fuit. Denotat enim hæc ipsa *potestatem iudicandi decernendi & determinandi omnia illa, quæ salutem ecclesiæ, & negotia eidem propria concernunt*, vt non ex sensu iuris Romani hæc vox sit æstimanda, sed ex significatu ecclesiis proprio.

§. VII. Non repetam hic, quæ prolixe *differt. III. ad Plinium II.* de *disciplin. confœderata* asserui, ex qua iurisdictionis huius vel quasi initia deduxi, eamque non Episcopis & presbyteris propriam, sed ecclesiæ fuisse, ostendi. Iudicabatur per tria priora secula in ipsa ecclesia h. e. coitione Christianorum, conuocata plebe, simulque suffragium ferente, quod leges *confœderationis* postulabant. Erant hæc iudicia

mere *conuentionalia*, & sic non per modum *imperii*, sed *pacti* exercebantur, eosque ex principiis iuris naturæ obligabant, qui in *confœderatam disciplinam* recepti erant. Neque collegium Presbyterorum sibi facultatem iudicandi vindicabat, quod eleganter illustrat Seldenus *de Synedr. lib. II. c.* 7. simulque adductam sententiam confirmat his verbis: *Ceterum Presbyterorum nullis, qua tales erant, iurisdictio aliqua siue intra sine extra Iudæam competiit, non magis atque in Synagogis, Proseuchis, scholis Iudæorum, quæ confessus non erant omnino ex sua natura forenses aut iurisdictionis. Et si qua forte in eis iurisdictio subinde exerceretur, aut exerceri videretur, ea ex disciplina confœderata eorum, qui ad ecclesias eiusmodi spectarent; & permissione principum, sub quibus vivebatur, pendebat, non ex presbyteratus eiusmodi officio.* Idem *lib. I. c. 9. in f.* de natura huius iurisdictionis ita loquitur: *Nec disciplinam, quam sic exercebant, reuera in se iurisdictionem aut imperium habuisse dicendum* (*vtpote quæ auctoritate carebat publica*) *sed tantum ex pactis illis ac reuerentia, iurisdictionis ac imperii imitationem priuatam.*

§. IIX. Exserebat hoc tempore sese iurisdictio hæc ecclesiastica priuata fere vnice in puniendis delinquentibus per receptam eiectionem, depositionem, pœnitentiam, & absolutionem. Alia adhuc incognita

erat,

erat, nisi quod in caussis priuatis solerent litigantes ad arbitrium Episcoporum recurrere, prout antea monui. Directio in hisce iudiciis exercebatur per Episcopos, vt tamen inuita plebe nihil decernere posset, prout Cyprianus passim fatetur. Si grauitas caussæ id postulabat, iudicia hæc exercebantur per Synodos prouinciales, quæ constituebant *iudicia communia prouinciæ collecta ex deputatis ecclesiarum comprouincialium*, prout supra *cap. IV.* dixi. Nihilominus quidam Episcopi iam seculo tertio *iudiciariam potestatem* priuatiue affectabant, exemplo Pauli Samosateni, quod tamen plerique improbabant. Eusebius *lib. VII. H. E. c. 30.*

§. IX. Seculo IV. postquam pax ecclesiis reddita, & principes Christo nomen dederant, Episcopi maiorem ambierunt potestatem, postquam iudicia Synodalia publicam auctoritatem accepissent. Ab hoc tempore enim iudicia hæc, antea ecclesiis propria, sibi vindicarunt, & quæuis *pro imperio* agere ceperunt, Socrates *lib. VII. H. E. c. 9.* Adeo enim opinio de *Sacerdotio* omnium Episcoporum mentes occupauerat, vt omne ius circa sacra & disciplinam exercerent, prout *c. XIII.* explicui, & non tantum plebem ab omni cognitione excluderent, sed, quod magis est, ipsos imperan-

tes,

tes, cuius rei teſtimonia plura ſeculo IV. obuia ſunt. Hæc ſacerdotalis poteſtas affectata eſt principale fundamentum iurisdictionis huius, quam Epiſcopi ſibi aſſeruerunt, quæ adeo lubrico admodum fundamento innixa eſt. Ea tamen adhuc modeſtia vtebantur Epiſcopi, vt in cognoſcendis litibus eccleſiaſticis & criminibus non ſolenni vterentur proceſſu, ſed *per modum disciplinæ* procederent, vt omnia ad forum internum referre viderentur. Paulatim multa, quæ ad proceſſum pertinent, adhibita, & tandem, quod ſeculo XII. imprimis apparuit, pleniſſime *forum*, vt loquuntur, *externum* exſtructum eſt. Morinus *de adminiſtr. Sacram. pœnit. lib. I. c. 9. & 10.*

§. X. Quæ cum ita ſint, ante ſeculum XII. vix dilucida documenta diſtinctionis inter iura *ordinis*, *iurisdictionis* & *Legis Diœceſanæ* adduci poſſunt. Quamuis enim Epiſcopi iudicii figuram inſtar *magiſtratus eccleſiaſtici* exercerent, omnia tamen dirigebantur ad *pœnitentiam eccleſiaſticam*, & ita ſacramentum pœnitentiæ tanquam *Paſtores*, & *Sacerdotes* virtute *poteſtatis ordinis*, in delictis puniendis ſeſe adminiſtrare aſſerebant. Saltim non apparet, ſollicite inquiſitum fuiſſe, vtrum hic vel ille actus ad Iurisdictionem, an vero ad poteſtatem ordinis, an denique ad

Le-

Legem Diœceſanam ſpectaret. Equidem in Concilio Lerdenſi, anno 524. celebrato, *c.* 3. relato a Gratiano in *c.* 1. *C.* 10. *q.* 1. & *c.* 34. *C.* 16. *q.* 1. fit mentio *legis Diœceſanæ*, ſed integer contextus canonis, qui a *Centur. Magdeb. cent. VI. c. 9. p.* 240. refertur, oſtendit, *ius ipſum epiſcopale* in genere hac voce deſignari, non vero diſtingui a *iurisdictione* ſtricte dicta. Aſt poſtquam ſeculo XII. forum externum pleniſſime inſtructum eſt, diſtinctas iuris epiſcopalis partes conſtituerunt, quam diſtinctionem Honorius anno 1220. ſententia ſua confirmauit in *c.* 18. *X. de offic. iudic. ordin.* & a Canoniſtis hodie diuerſimode explicari ſolet.

CAP. XXI.

HISTORIA CONFESSIONIS AVRICVLARIS.

§. I.

CONfeſſionem auricularem a praxi primorum ſeculorum plane alienam, & demum ex erroneis hypotheſibus ſubſequentium ſeculorum in eccleſia latina introductam, & ab Innocentio III, in eam for-

mam

mam deductam esse, sub qua hodie vsum vbique habet, alii iam prolixe demonstrarunt, inter quos potissimum nominandi sunt Jo. Dallæus *de confess. latin. auric.* & Petrus Molinæus *de pœnit. & clauibus.* Quia vero seriem huius disciplinæ ecclesiasticæ iusta connexione haud tradiderunt, paucis id ipsum hoc capite præstare animus est.

§. II. Id ante omnia præmitto, mirandum esse, quod plerique fundamentum eius in *iure clauium* quærant, sacerdotibus, vel, vt alii volunt, toti ecclesiæ commisso, cum tamen huius iuris vestigia certa in primitiva ecclesia non occurrant, quod ius sane Christiani primitiui haud neglexissent, si illud ecclesiæ datum fuisse credidissent. Pœnitentiam quandam publicam agnouerunt, quam tamen ex *iure clauium* minime deduxerunt, nec eo modo exercuerunt, quo hodie confessiones auriculares exercentur, quod satis ostendit, confessionem hanc in sacris non esse fundatam. Atque hæc fuit constans primitiuæ ecclesiæ opinio, peccata quidem in ecclesiam commissa ab ipsa ecclesia remitti posse, reliquorum vero remissionem soli Deo reseruatam esse, nec vlli homini ius esse, *vice Dei* peccata remittendi. Collimat huc Irenæus *lib. V. adv. hæres. c. 7.* aiens; *si nemo potest remittere pecca-*

ta

ta, nisi solus Deus, remittebat autem hæc Dominus & curabat homines, manifestum est &c. Seuerioris disciplinæ asseclæ, qui pœnitentiam lapsis negabant, sedulo distinguebant inter remissionem, quæ ab ecclesia læsa fiebat, & inter illam, quæ soli Deo reseruanda erat. Licet enim illam negabant, ad hanc tamen eos inuitabant, a Deo expetendam, *qui solus ius potestatemque haberet peccata dimittendi*, vt distinguit Acesius apud Socratem *lib. I. H. E. c. 10.* Similiter etiam Tertullianus illam remissionem peccatorum esse in potestate ecclesiæ contendit, quæ iniuriam sibi illatam concernit, non vero illam, quæ soli Deo reseruata est. vid. *lib. de pudicit. c. 3. & 21.* Cyprianus *epist. 55.* Optatus Milevit. *lib. V.* Clemens Alexandr. *pædag. c. 8.*

§. III. Atque hæc distinctio satis conueniens est cum praxi primitiuæ ecclesiæ, quæ tantum *publicam pœnitentiam* nouit. Ortam eam esse ex *disciplina confœderata*, fusius ostendi *diss. III. ad Plinium II. & Tertull.* quod pro vberiori eorum, quæ dicturus sum, declaratione in compendio referam & repetam. Ius ecclesiæ consistebat principaliter in *communione & iure fraternitatis*. Hoc consequebantur fideles per baptismum, sed amittebant rursus tum per *eiectionem*, tum per *desertionem voluntariam*, nec facilis ad amissæ communionis recuperationem aditus

tus dabatur. Vnicum medium restitutionis in integrum erat, *pœnitentia publica*, qua reconciliabatur eiectus vel desertor ecclesiæ læsæ, & post satisfactionem impositam in amissam communionem recipiebatur. Vnde quibus denegabant communionis redintegationem, eis quoque pœnitentiam hanc denegabant, quo rigore seculo II. quædam Africanæ ecclesiæ, & postmodum Montanistæ & Nouatiani vtebantur. Hæc fuit sententia Acesii Nouatianorum Episcopi in Concilio Nicæno, relata a Socrate *lib. I. H. E. c. 10. eos scilicet, qui post baptismum eiusmodi crimen admiserint, quod peccatum ad mortem diuinæ scripturæ pronunciant, ad diuinorum mysteriorum communionem admitti non oportere, sed ad pœnitentiam quidem* (intuitu Dei) *inuitandum esse, remissionis vero spem* (intuitu ecclesiæ læsæ) *non a Sacerdotibus eos expectare debere, verum a Deo, qui solus ius potestatemque haberet, peccata dimittendi.*

§. *IV*. Nondum ergo baptizati, sed adhuc catechumeni pœnitentiæ huic haud subiiciebantur, vtpote qui nondum recepti erant, & ius fraternitatis, cuius nondum participes facti, amittere non poterant. Unde facile patet, quid de traditione Eusebii statuendum sit, quam de Philippo Imperatore *lib. VI. H. E. c.* 34. habet, *Philippum*, ait

ait, *vtpote Christianum, fama est in postrema Paschae vigilia precationum in ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse, sed episcopum, qui tunc ecclesiae praeerat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque qui humanitus lapsi fuerant & in poenitentium ordine stabant, sese adiunxisset. Quippe ob multa, quae commiserat crimina, nunquam omnino ab Episcopo fuisset admissus, nisi id prius fecisset.* Non indicat Eusebius, vtrum adhuc catechumenus an vero iam baptizatus fuerit. Si prius, quod probabile est, aperte falsa est traditio, quia catechumeni nunquam solenni & publicae poenitentiae subiiciebantur. Loqui vero Eusebium de Philippo adhuc catechumeno, vel inde probabile est, quia ei tribuit multa crimina, quae ante conuersionem commisit: minus enim probabile est, eum post conuersionem tot criminibus infectum fuisse. Si posterius supponi debet, firmatur sententia hactenus adducta, exclusos demum per *poenitentiam* in integrum restitutos fuisse. Verum cum alii iam demonstrauerint, parum huic traditioni fidendum esse, ei diutius non immorabor.

§. V. Extra hunc casum, quo quis ius fraternitatis amiserat, poenitentia ecclesiastica locum non habebat, cum semper scriptores ecclesiastici de *poenitentia* loquentes

eorum mentionem faciant, qui a communione exclusi erant, vel ius eius suo delicto amiserant. Conueniens enim vtique erat, vt, qui cum ecclesia læsa in gratiam redire quærebant, deprecatione solenni præuia remissionem non peccatorum intuitu Dei, sed iniuriæ in ecclesiam commissæ expeterent, & ita ei satisfacerent. Constat hoc ex scriptis Tertulliani, qui mœchis pacem non esse dandam contra Episcopum Romanum censebat, qui eos sub spe pacis consequendæ ad pœnitentiam hanc admittebat. Ipse tantum duplicis pœnitentiæ mentionem facit, ita vt altera fieri debeat *intuitu Dei*, quæ nemini deneganda, altera *intuitu ecclesiæ*, pro pace recuperanda, quam mœchis denegandam censuit. Illa non desiderabat confessionarium sacerdotem, sed priuatim Deo facienda erat: hæc in facie ecclesiæ facienda, & ecclesiæ decreto remissio pœnitenti per Episcopum annuncianda erat, quod Cypriani scripta manifeste produnt.

§. VI. Atque ita necesse erat, vt de ipso delicto commisso constaret. Ob occulta delicta vel ideo pœnitentia publica imponi haud poterat, quia talis communionis ius retinebat, vti Augustinus adhuc suo tempore *Homil.* 38. confessus est, *nos*, inquiens, *a communione prohibere quenquam non*

non possumus, nisi aut sponte confessum, aut aliquo siue seculari siue ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Salua autem communione, non erat locus pœnitentiæ publicæ. Confer Sirmondus *in histor. pænit. public. c. 4.*

§. VII. Hoc more, delicta confitendi, per duo secula propagato, noua quædam opinio quorundam mentes occupauit, etiam occulta delicta propalanda esse ecclesiæ. Suadet hoc serio Origenes *homil. III. in Leuit. circa med.* nec abhorret Cyprianus; secuti sunt horum doctrinam plures, & vltro de occultis pœnitentiam subierunt, talibus scilicet, quæ ius communionis adimerent. Pœnitentiam ergo subierunt ad redintegrandam communionem, quod aperte & ingenue fatetur Augustinus *epist. 108. ad Seleucianam* scribens: *agunt homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccauerint, vt excommunicari & postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus ecclesiis illi, qui proprie pœnitentes appellantur.* Ecquid clarius dici potuit?

§. IIX. Ita tamen temperata fuit post hæc tempora pœnitentia publica, vt de occultis criminibus pœnitentiam agentes non necessum haberent, ea publice in facie ecclesiæ publicare & propalare, sed episcopo illa indicare & confiteri possent, quo

ipso *priuata* quædam *confessio* orta, ita tamen, vt publica pœnitentia nihilominus eis subeunda esset ad ius communionis amissæ consequendum. Collimat huc Basilius in *epist. Canonica ad Amphilochium can.* 34. his verbis: *adulterio pollutas mulieres & confitentes ob pietatem vel quomodocunque conuictas, publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne conuictis mortis caussam præbeamus. Eas autem stare sine communione iusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Constat ex hoc Canone (1) occulta delicta secreto esse reuelata (2) Episcopum illa publicare haud potuisse, inde *sigillum confessionis* ortum, cuius ratio est, ne ad pœnam secularem publice confitentes raperentur (3) confitentibus communionem esse denegatam, & denique (4) finem pœnitentiæ adhuc fuisse redintegrationem communionis amissæ. Qui ergo, transacto pœnitentiæ tempore, recipiebantur, non a peccatis intuitu Dei, sed tantum ecclesiæ, absoluebantur, vtpote cuius communionem delictis suis amiserant.

§. IX. Confessio quoque publice in facie ecclesiæ facienda paulatim in quibusdam ecclesiis quoad delicta publica remissa & indulgentior disciplina admissa est, vt sufficeret, si Episcopo vel presbytero confessio hæc fieret. Morem hunc ortum fuisse occasione Decianæ persecutionis

re-

referunt Socrates *lib. V. c.* 19. Sozomenus *lib.* 7. *c.* 16. & Nicephorus *lib.* 12. *c.* 28. qua lapsorum ingens vbique numerus erat, qui, pœnitentia acta, recipi desiderabantur. Quia vero plurimis *graue & molestum videbatur, tanquam in theatro, circumstante totius ecclesiæ multitudine, crimina sua euulgare, ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur.* Sozomenus *cit. l.* Mansit itaque pœnitentia publica, vti ex integro Sozomeni *cap.* 16. apparet, etiam postquam presbyter confessionibus audiendis esset propositus, nec remittebantur labores pœnitentiales, sed publica tantum delictorum confessio. Verum a Nectario hunc presbyterum, confessionibus præpositum, in oriente sublatum esse, Auctores laudati docent, salua nihilominus pœnitentia publica.

§. X. Inde quoque circa initia seculi VII. orta quædam est distinctio inter *privatam* & *publicam pœnitentiam*, quæ antea haud cognita erat. Publica, olim duntaxat vsitata, tantum applicata est publicis criminibus; sed quoad *occulta* delicta, pœni-

tentia priuata tantum imposita est, quæ determinata hunc in finem fuit in antiquis pœnitentialibus, vid. Natal. Alexandr. *in dissert. eccles. ad secul. III. dissert. III. qu. 2. art. I. propos. I.* Sed rursus illa priuata pœnitentia non fiebat ante vsum S. cœnæ, nec statis quibusdam temporibus, sed tunc demum, si quis occultum commisisset delictum, & quidem mortale. Ita paulisper recessum est a pristino pœnitentium more, quia deinceps creditum fuit, (I) hanc priuatam confessionem faciendam esse, ad remissionem peccatorum a Deo consequendam, (II) hunc in finem necessario subeundam esse quandam satisfactionem intuitu Dei, quæ olim intuitu ecclesiæ fiebat; (III) Sacerdotes habere ius remittendi peccata, cum olim Episcopi tantum absoluerent pœnitentes ad effectum recuperandæ communionis amissæ; (IV) communionem iis non esse denegandam, quæ tamen deneganda olim erat pœnitentibus, cum pœnitentiæ vnicus finis, illius restauratio, esset.

§. XI. Hisce velut gradibus tandem itum est ad solennem illam auricularem confessionem, quam Innocentius III. stabiliuit quæque ab omnibus, qui vsus S. cœnæ participes fieri volunt, fieri debet, & a priuata illa pœnitentia, de qua *§. antec.* actum

actum, originem traxit, sed in multis mutata est, docente Dallæo *cit. tr.* Nullam in sacris eam habere auctoritatem, nec antiqua ecclesiæ praxi eam roborari, sed crassissimo sub papatu natales suos habuisse, inde constat.

CAP. XXII.

De ORIGINE COEMETERIORVM.

§. I.

Coemeteria, quæ hodiernis vsitata sunt temporibus, olim per plura secula incognita fuisse, manifestum est, nec alibi Christianis permissum fuit, mortuos sepelire, quam vbi de iure communi id concessum esset. Sepulchra eorum dicebantur quidem *κοιμητήρια* ob *spem resurrectionis*, quo distinguebantur a gentilibus, obseruante Rigaltio *ad Cyprianum epist. 67. p. 173.* interim haud deprehendimus in loco sepulturæ eligendo eos diuerso a gentilibus iure vsos fuisse. In eo tantum a gentilibus recedebant, quod mortuos igne haud cremarent, sed hunc morem aperte reprobarent. Tertull. *De anima* c. 51. & *de resur-*

vect. carn. c. 1. Minutius Felix *in Octau.* & quod dissuaderent, ne sepulchris gentilium christianorum corpora conderentur. Cyprianus *epist. 67. p. 173.*

§. II. De iure antiquo cadauera sepelienda erant extra vrbem, idque ex LL. XII. tabb. sententia: *hominem in vrbe ne sepelito*, Paulus *lib. I. sent. tit. 21.* quod etiam rescriptis principum confirmatum erat. *l. 3. §. 1. de sepulc. viol.* vid. Gutherius *de iur. man. lib. II. c. 33.* Plerumque sepeliebant cadauera prope vias publicas vel in propriis fundis, quod rursus ex iure Romano constat. Nec Christiani alio iure vtebantur, tantum enim abest, vt intra vrbes sepelire tum voluerint, potuerint ue, vt ne Christianis quidem esse aut videri licuerit, vt ait Iac. Gothofredus *ad l. 5. C. Theodos. de sepulc. viol.* Loca tamen sepulturae martyrum ea elegebant, quae illis locum tutum, quo conuenire possent, praeberent. Hoc ipsum exponunt fideles ecclesiae Smyrnensis apud Euseb. *lib. IV. H. E. c. 15.* vbi passionem Polycarpi referunt, & haec subiungunt: *Atque ita nos demum ossa illius, gemmis pretiosissimis cariora & quouis auro puriora, colligentes, vbi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit,*

rit, conuenientibus concedet Deus natalem eius martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros huiusmodi exemplo erudiendos & confirmandos. Cryptæ spatiosæ huic fini valde inseruiebant, quibus Martyrum ossa condi solebant, quorsum adhuc suo tempore collimat Hieronymus *in Ezech. c.* 4. *Solebam diebus Dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum.*

§. III. Hic mos, ad tumulos martyrum coitiones faciendi, pace ecclesiis reddita, occasionem præbuit, Martyrum sepulcra intra vrbem permittendi, eorumque corpora, extra vrbem tempore persecutionis terræ mandata, intra mœnia ciuitatum transferendi, ipsisque templis inferendi. Dicta inde templa *martyria*, *memoriæ* & *Apostolorum vel martyrum sedes. l. 6. C. Theod. de sepulch. viol.* Sicuti enim antea Christiani in sepulcris martyrum conuenerant, & rem ibi diuinam fecerant, ita quoque nec ab eo recedendum esse existimarunt, æstu persecutionum finito, adeoque in hunc finem eorum

corpora ipſis templis inferenda, & tumulos in iis exſtruendos eſſe iudicarunt.

§. IV. Præterea ipſi Imperatores & Epiſcopi iam ſeculo IV. poſtquam tumuli martyrum in baſilicis exſtructi ſunt, a diſpoſitione antiquæ legis, ſepulturam intra mœnia ciuitatis prohibentis, receſſerunt. Conſtantinus in veſtibulo eccleſiæ Apoſtolorum ſepultus eſt, id quod deſiderauerat, & quamvis Euſebius *lib. IV. de vita Conſtant. c.* 7. referat, deſignaſſe Conſtantinum locum, quo ſepeliretur, in ipſa eccleſia, conſtat tamen ex Chryſoſtomo aliorumque teſtimoniis relatis a Iacobo Gothofredo *in comm. ad cit. l. 6.* eum in veſtibulo eccleſiæ ſepultum fuiſſe. Refert hoc ipſum quoque Sozomenus *lib. II. H. E. c. vlt.* vbi hanc notabilem addit obſeruationem: *ab eo tanquam rei eius authore conſuetudine ducta Imperatores Conſtantinopoli obeuntes ſepeliuntur, atque Epiſcopi etiam: quippe cum ſacerdotalis imperii dignitati par ſit, imo vero in locis ſacris primas partes obtinent.*

§. V. Forſan Epiſcoporum exempla alii ſecuti ſunt, & intra vrbem ſepulchra elegerunt eodem ſeculo, quem morem tamen abolendum, & antiquum reuocandum eſſe cenſuit Theodoſius M. circa annum 383. legem hanc promulgans: *Omnia quæ ſupra terram vrnis clauſa, vel ſarcofagis corpora detinentur, extra vrbem delata ponantur, vt & humani-*

tatis

tatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem. L. 6. C. Theod. de sepulchr. viol. Videntur priuati exemplo Episcoporum & Imperatorum ambiisse, vt intra ciuitatem conderentur, praeiudicio a martyribus petito, cui accessit superstitio, quod iuxta tumulos martyrum sepeliri desiderarent. Hunc praetextum haud admittendum esse censet Theodosius in *cit. l.* hinc addit: *Ac ne alicuius fallax & arguta sollertia ab huius se praecepti intentione subducat, atque Apostolorum vel martyrum sedem humandis corporibus aestimet esse concessam, ab his quoque, ita vt a reliquo ciuitatis, nouerint se atque intelligant esse submotos.*

§. VI. Hoc modo quidem priuati prohibiti sunt sepulcra ad martyrum sedem eligere, sed desiderium & superstitio haud exstincta, quin potius exemplo ipsorum Episcoporum propagata est. Quippe quod ab Episcopis ceptum, ad clericos, denique etiam ad laicos translatum est. Vid. Thomassinus *de disciplin. eccles. P. III. lib. I. c. 65. §. 7. in f.* Monachorum quippe corpora, qui laici erant, post haec tempora, quandoque in ecclesiis terrae condita sunt, imo & alii laici fideles, singulari sanctitate conspicui, ad hunc honorem admissi, quamuis non vbique eadem libertas condendi corpora fuerit. Seculo VI. imprimis

mos

mos hic vbique fere inualuerat, vt ſepulturæ ab honoratioribus & ditioribus in eccleſiis eligerentur. Huic conſuetudini quidem obuiam itum eſt in Concilio Bracarenſi I. anno 563. celebrato, vbi *c. 6.* ita cautum: *item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo intra Baſilicam ſanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt de foris circa murum Baſilicæ det.* Hoc canone itaque permiſſum, *ex iuſta cauſa* circa murum Baſilicæ ſepelire cadauera. Ius vero antiquum haud fuiſſe abolitum, patet ex verbis ſequentibus, canoni ſubiectis: *Nam ſi firmiſſimum priuilegium vsque nunc manet ciuitates, vt nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reuerentia obtinere.* Nulla itaque hoc tempore fuiſſe *cœmiteria communia,* exinde patet, ſed ius antiquum obſeruatum, ſecundum quod extra vrbem in propriis fundis vel prope viam quilibet ſepeliendus erat, quamuis locus ille, quo plura corpora conderentur, ex electione ſcilicet priuata, *cœmeterium* dictum fuerit. Tertullianus *de anima c. 51. p. 302.* Imo nequidem ſacerdotes omnes in eccleſiis ſepeliebantur, vti teſtatur Gregorius Turonenſis *lib. I. c. 44. Ipſe quoque ſacerdos cum coniuge & filia in crypta Contabennenſi iuxta aggerem publicum eſt ſepultus.* Alia erat ratio regum, qui communiter in eccleſiis ſepelie-

liebantur, vt de Chlodouæo aliisque regibus docet Dubois *in histor. eccles. Paris. lib. II. c. 2. §. 3. 4.*

§. VII. In Italia aliisque locis circa finem seculi VI. maior libertas irrepserat, sepeliendi mortuos in ecclesiis, præsertim cum ditiores Episcopis offerrent sat lautum pretium pro redimendo loco sepulturæ. Grauiter hunc morem improbat Gregorius M. *Lib. VII. Epist. 4. & 56.* vbi tandem hæc subiungit: *Si quando aliquem in ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi vel heredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus.* Imo ipse Gregorius existimauit, conducibile esse sepelire mortuos in templis, quod proximi eorum ipso tumulorum adspectu admoneantur, vt ardentius pro defunctis orarent. Interim hoc priuilegium impetrandum erat ab Episcopo, quo ipso tot optimæ leges obseruantiam suam amiserunt.

§. VIII. Ceterum vbi cadauerum sepultura in templis fieri non poterat, ea tamen *circa murum Basilicæ* facilius permittebatur iuxta concilium Bracarense, quo factum, vt passim in vrbibus sepulcra circa ecclesias exstruerentur & atria ecclesiarum *cœmiteria fierent*. Seculo VII. & VIII. hinc inde in conciliis renouata est prohibitio de non

sepe-

ſepeliendis in templo mortuis, quamuis vt in atriis eccleſiarum ſepulturæ fierent haud interdictum ſit, quo ipſo tamen neceſſitas nemini impoſita videtur, ſepeliendi mortuos in cœmiterio circa baſilicas, cum lex de non ſepeliendis cadaueribus in vrbibus in totum haud eſſet ſublata.

§. IX. Leo demum Philoſophus ſeculo IX. *Nov. 23.* ius antiquum prorſus ſuſtulit, & libertatem ſingulis dedit, ſiue intra ſiue extra vrbem ſepulcrum eligendi. *Quicunq; autem*, ait, *ſiue extra muros ſiue intra ciuitatem ſepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habeto.* Et hactenus haud ſublatum fuiſſe videtur ius ſepeliendi mortuos in propriis fundis, cum extra ciuitatem ſepulcra eligere iis integrum eſſet.

§. X. In concilio Nannetenſi *c. 3.* ſeculo decimo renouatum eſt ius antiquum de non ſepeliendis cadaueribus in templis, his verbis: *Prohibendum etiam ſecundum maiorum inſtituta, vt in eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut extra eccleſiam: infra eccleſiam verò aut prope altare, vbi corpus Domini & ſanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam ſepeliendi.* Hæc verba indicant, iam vſitatum prorſus fuiſſe, vt atria templorum eſſent cœmiteria communia, vbi ordinarie

eſſent

essent sepelienda cadauera. Vnde iam in Concilio Triburiensi anno 895. celebrato *c. 15.* dispositum est in qua ecclesia quis sepeliendus sit, quem canonem, satis celebrem, hic apponam: *Restat propter instantem, quae tunc maxima occurrit necessitatem, vbicunque facultas rerum, & opportunitas temporum suppetiat, sepulturam morientium apud ecclesiam, vbi sedes est Episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adiacentem alicuius inopportunitatis difficultatem impossibile videatur: expectet eum terra sepulturae suae, quo canonicorum aut Monachorum, siue sanctimonialium congregatio sancta communiter degat: vt eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quodsi & hoc ineptum & difficile aestimetur, vbi decimas persoluebat viuus, sepeliatur mortuus.* Erant adhuc eo tempore sepulturae gratuitae, quod etiam in sequentibus iniungitur, inde in parochiali ecclesia non necessario sepeliendus erat defunctus cum Parochi plane haud interesset. Patet tamen inde, coemiteria ordinaria eo tempore iam fuisse circa basilicas, monasteria aliasque ecclesias.

§. XI

§. XI. Aſt vbi ſepulturæ Parochis lucrum afferre inceperunt, & laudabiles conſuetudines, vti vocantur, circa ſepulturam confirmatæ ſunt, ab hoc tempore Parochi omnem lapidem mouerunt, vt quilibet in Parochiali eccleſia h. e. in cœmiteria circa eam ſepeliretur, quod variis poſtmodum canonibus cautum, & nemini in poſterum integrum fuit, alibi quam in illo cœmiterio cadauera ſepelire.

Errata obiter obſeruata.

p. 29. l. 7. leg. *executione.* p. 44. l. 14. pro *impedit* leg. *non vero impedit.* p. 46. l. 7. ante fin. pro *reconuentionem* leg. *conuentionem.* p. 49. leg. *earum.* p. 55. l. 9. ante f. pro *illa* leg. *hac.* p. 94. l. 16. leg. *amitti.* p. 108. l. 7. leg. *c. 10. X. h. t.* p. 110. l. 18. leg. *interroget.* p. 112. l. 12. pro *qui non poſſidet* lege: *qui poſſidet.* p. 128. lin. 19. leg. *quin.* p. 153. l. 14. lege *Pariſienſis.* p. 157. l. 9. leg. *exercitium.* p. 171. l. 9. ante fin. lege *eam.* p. 193. l. 7. pro *non illa* leg. *non hac.* p. 201. lin. 13. leg. *blaſphemat.* p. 220. l. 7. leg. *baptismalis.* p. 221. l. 5. leg. *paruulorum.* p. 223. l. 2. ante fin. leg. *quod.* p. 243. l. 5. leg. *ſedes.* lin. 7. ante f. leg. *nequeunt.*



IN-



INDEX TITVLORVM
INSTITVTIONVM SCHILTERI AVCTARVM ET EMENDATARVM.

Lib. I.

Ff X.

IX.

LIBER. II.

INDEX CAPITVM ORIGINVM IVRIS ECCLESIASTICI.

CAP. I.

INDEX RERVM.

A.

Ar-

C.

Clau-

iu-

Sy-

H.

I.

In-

M.

S.

Scru-

T

Trans-

FINIS.

Addenda ad p. 410. §. II.

In *Capite XIIX.* actum eſt *de origine Monachatus*, vbi obiter §. II. obſeruaui, vitam ſolitariam, vnde Monachatus originem traxit, non tantum obtinuiſſe apud chriſtianos, ſed etiam apud *Iudaeos.* (vti contextus corrigendus eſt) id quod adhuc illuſtratione quadam indiget, vt inde eo clarius de vita hac ſolitaria, in chriſtianismum deducta, conſtet. *Solitaria* ſeu *philoſophica* hæc vita, prout vocatur, apud Iudæos antiquiſſima & Eſſenorum philoſophiæ propria erat. Hi potiſſimum commendantur, *ob morum ſanctitatem pietatemque:* præterea etiam *ſolitarium vitæ genus a prepitu vrbano remotum* ſectabantur, & plura alia inſtituta peculiaria habebant, ſummatim relata a Dn. Buddeo in *hiſtor. de philoſ. Hebraeor.* §. 21. Meminit quoque Euſebius *lib. II. c. 17.* quorundam, *ſolitariam vitam* agentium, quos *Therapeutas* vocat, contenditque, eosdem *Chriſtianos* fuiſſe, & ex Hebræis originem duxiſſe. Aſt in eo falli Euſebium, & Therapeutas hos non chriſtianos ſed *Iudaeos* fuiſſe notat Henricus Valeſius *ad cit. Euſebii locum*, de quo etiam egi *diſſert. II. ad Plinium II.* §. 12 quin quod ipſi *Eſſeni* fuerint, docente Thoma Brunone in *diſſert. de Theropeut.* Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt, vitam hanc philoſophicam & ſolitariam Eſſenis ſeu Therapeutis propriam fuiſſe, quam

quam Eusebius *cit. l.* ex Philone describit, aitque *simulatque ad hoc philosophandi genus se contulerint Iudæi, omnibus eos bonis a propinquos suos transmissis vltro cedere. Deinde abiecta omni rerum humanarum cura, extra vrbem progressos in hortis agellisque deviis degere, quippe qui intelligant, dissimilis propositi hominum contubernia & commercia plurimum obesse philosophiæ.* De ædibus eorum post pauca ita pergit: *In singulis domiciliis est quoddam sacellum, quod σεμνεῖον & monasterium appellatur, in quo soli remotis arbitris sanctionis vitæ mysteria peragunt &c.*

Quemadmodum itaque hæc vita philosophica apud Iudæos vsitatissima erat & speciem singularis *pietatis* & *devotionis* præ se ferebat, ita negari nequit, Christianos quoque, qui mores Iudæorum in plurimis retinuerunt, ad hanc vitam philosophicam excollendam inductos fuisse (1) *exemplo Iudaeorum* (2) *necessitate*, quæ in §. *III.* adducitur, quamuis superstitione Iudaica careret & ab initio innocentissima esset.